

AB

154406

Q. a B 23

Philosoph.

~~6. 122~~ VI

2. 7. 114.

6 ELEMENTA 2
HERMENEV.
TICÆ SACRÆ

In Usū
Studiosorum Juvenū
ACADEMIÆ LIPSIENSIS
concinnata

a
D. JO. OLEARIO. PP.


Accedit
Catalogus Commentatorū
præcipuorū in singulos
Libros Biblicos:

cum
PRAXI HERMENEVTICA
in
Quibusdam Exemplis.

LIPSIÆ
Apud Jacobum Fritsch.
1699. 7

Luc. XXIV, 27.

Καὶ ἀρξάμενος (ὁ Ἰησοῦς) ἀπὸ
Μωσέως, ἢ ἀπὸ πάντων τῶν
Προφητῶν, ΔΙΗΡΜΗΝΕΥΕΝ
αὐτοῖς ἐν πάσαις ταῖς γραφαῖς
τὰ περὶ αὐτοῦ.



LECTORI.

CUm primas horum *Elementorum*, quæ hic oculis tuis, **LECTOR BENEVOLE**, subjecta vides, effunderem lineas [plures autem a tempore illo effluxerunt anni] adeo de publicatione non cogitavi, ut ne in privati quidem Collegii liberiora spatia emittere meditarer. Unus tum mihi scopus erat, ut Hermenevticis in Scholis, quas per annos bene multos non raras institui, memorialem quendam haberem ipse libellum, qui, ut index, rerum quæ in argumentum discursus venirent, capita generatim meæ doctis memoriæ subjicerent. Anno demum superiore, demesticos, ut

ita loquar, carceres egressum O-
pusculum liberiore spiritu, post ac-
curatiorem adhibitam limam,
frui cœpit, communicatum a me
privati cujusdam, magis frequen-
tati, Collegii, cum hi vel maxime
servire crederent illud studiis suis
posse, Auditoribus. Ab his ad alios
porro disseminatum Bibliopolam
tandem invenit, qui typis descri-
bendo sumtum offerret. Quæ
ideo volui præfari, amice Lector,
ut, si expectationi tuæ non satis-
fecero, ne me accuses, sed Libelli,
fortasse alias inter pulveres peri-
turi, fortunam. Nam ego mihi
quidem, quam parum in abdita
Scientiæ hujus diviniore penetra-
verim, sum ipse testis ingenuus:
nec adeo suffenus unquam fui, ut
me in hoc scriptiois genere, quod
ante me plures occuparunt in
Syllabo subjecto laudati summæ
eruditionis Viri, aliquid supra alios
præstitisse mihi persvaderem.
Tan

Tantum abest, ut a me sumserim
 audaciam plenioris cujusdam vul-
 gandi Systematis Hermenevtici.
 Non nisi Incipientibus me isthæc
 scripsisse, vel ipse *Elementorum* ti-
 tulus profitetur; quæ, si non alium
 inter doctos & cordatos sive Viros
 sive Juvenes hic aut alibi habebunt
 usum, saltim mihi laborem in Col-
 legiis privatis, pro formando plu-
 rimum in hanc Academiam adven-
 tantium nobilissimorum juvenum
 studio Exegetico, allevabunt.
 Quare nec aliis tam prodesse po-
 terunt istæ pagellæ, quam qui in-
 terfuturi sunt tum meis, tum alte-
 rius cujuscunque periti Doctoris
 vivis congressibus. Adjeci dupli-
 cem in fine *Appendicem*: Prior
Catalogum præcipuorum Scripturæ
totius Tractatorum; Posterior
Praxin Hermenevticam in duo-
 bus textibus Biblicis, quorum
 unus ex Veteris, alter ex Novi Te-
 stam. Scriptura Canonica de-

promptus est, exhibet. Quod su-
 perest, DEUM rogo, velit hunc
 animum adspirare Studiofis omni-
 bus, ut semper meminerint, Theo-
 logiæ Exegeticæ præcipuam ante
 alias partes deberi operam, eo quod
 Sacræ Literæ sint unicum fidei
 Christianæ Principium, unde uni-
 versa derivetur Theologia: eum-
 que laborem, qui circa fontem
 occupatur, multo digniorem esse
 isto, qui rivos duntaxat
 sectatur!

SYL-

107
SYLLABUS

AUTORUM, qui hanc ante nos materiam diversimode occuparunt,

I. Ex Veteribus:

AUGUSTINUS Libris IV. de Doctrina Christiana.

HIERONYMUS Epistola CI, ad Pamphili-
chium de *Optimo genere Interpretandi*. Confer Epistolam LXXV. ad Sun-
niam & Fretellam: nec non Præfa-
tiones in Prophetas XII. ad Paulam
& Eustochium: in Joelem: in IV.
Evangelia ad Damasum &c. &c.

II. Ex Nostratibus:

MATTHIAS FLACIUS ILLYRICUS
Part. II. Clavis Script. Tract. I. de Ra-
tione cognoscendi SS. Literas.

JOH. GERHARDUS Tract. de *Interpre-
tatione Scripturae Exegeti Loci* de
Script. S. Tom. I. LL. inserto.

WOLFG. FRANZIUS de *Interpretatione
Scripturae maxime legitima*, cum CLII.
exemplis selectis.

SALOM. GLASSIUS Philol. Sacrae L. II.
de *Scripturae sensu dignoscendo & eruen-
de.*

MICH. WALTHERUS Officin. Bibl.
Repos. I. Thec II. Arc. V. de *Dexte-
ritate interpretandi Scripturam.*

JOH. CONRAD. DANHAUERUS Her-
meneutica Sacra, seu *Methodo exponen-
darum S. Literarum*; nec non *Idea Boni
Interpretis.*

ABRAH. CALOVIUS Prolegom. in Ge-
nesin : nec non Praelect. Generali in
Biblia illustrata Tom. I. de *Causis
Παρερμηνεω̃ν.*

JOH. OLEARIUS (Patruus meus) Theol.
Univers. Syst. III. de *Theologia Exege-
tica.* Quæ & seorsim excusa prostat.

AUG. PFEIFFERUS Hermeneutica Sa-
*cræ seu de Legitima Interpretatione S.
literarum.*

JOACHIM JUSTUS BREITHAUPT
*Institutione Hermeneutico-Homiletica
ex Augustini Libris IV. de Doctrina Chri-
stiana conqvisita, illustrata, atqve ad
usum accommodata.*

JO. GUILIELMUS BAIERUS *Compendio
Theologiae Exegeticae, Quod est Opus
Posthumum.*

III. Ex Reformatis:

ANDR. RIVETUS *Isagoge ad Scriptur. S.*
DA-

DANIEL CHAMIERUS Panstr. Cathol.
Tom. I. L. XVI. c. IV. & V. de *Mediis*
internis & externis interpretandi Scri-
pturam.

ABRAH. GULICHIUS *Hermeneutica*
Sacra Bipartita, Artis præceptiones de
Ratione interpretandi tum S. Scriptu-
ram universe, tum speciatim *Prophe-*
tias summatim explicante; quæ sub
forma præfationis præmissa est ejus
Theologiæ Prophetiæ de rebus Vet.
Testam.

ROBERTUS BOYLE Cogitationibus de
Scripturae Stylo.

JOH. CLERICUS de *Optimo Genere In-*
terpretum S. Scripturae. Quæ est disser-
tatio II. Prolegom. in Translat. Vet. Test.
inserta.

IV. Ex Romano-Catholicis:

SANTES PAGNINUS *Isagoge ad SS.*
Literas.

SIXTUS SENENSIS Biblioth. S. L. I.
cap. III. de *Arte exponendi Scriptu-*
ram S.

JACOB. GRETSERUS Tractatu
de *agnoscendo legitimo Scripturae S.*
Sensu.

NICOL. SERARIUS	} <i>Prolegomenis</i> <i>S. Scripturae.</i>
JACOB. BONFRERIUS	
ALPH. SALMERON	
JOH. STEPH. MENOCHIUS	
JACOB. TIRINUS	
JOH. de la HAYE	

Et

Alii forte PLURES, singularum Clas-
sium, qui ad nostram non pervenerunt
notitiam.



INDEX

Partium & Capitum totius Opu-
sculi.

CAPUT PRÆLIMINARE

De Natura & Constitutione Hermenev-
ticae Sacrae.

PARS PRIMA

DE FINE HERMENEVTICÆ S.

CAP. I.

De Fine Objectivo Remoto atque Media-
to: seu Textu Scripturae S. interpretabili.

CAP. II.

De Textu Originali Scripturae Vet. Test.

CAP. III.



CAP. III.

De Textu Primigenio Scripturæ N.T.

CAP. IV.

De Contextu Scripturæ S. seu integra
verborum Structura.

CAP. V.

De Versionibus Scripturæ S.

CAP. VI.

De Affectionibus Utriusque Textus Scri-
pturæ Canonicae.

CAP. VII.

De Fine Objectivo Proximo & Immedia-
to, sive Sensu Scripturæ Divino.

CAP. IIX.

De Fine Formali, seu Interpretatione Scri-
pturæ Sacrae.

PARS SECUNDA

DE SUBJECTO HERMENEUTICÆ
SACRÆ.

CAP. I.

De Sacrarum Literarum Tractatore in
Genere.

CAP. II.

De Interpretis Scripturæ *ἱκανότητι* seu
Aptitudine in specie.

A 6

PARS

PARS TERTIA

DE PRINCIPIIS ET MEDIIS HER-
MENEVTICÆ SACRÆ.

CAP. I.

De Principio Essendi.

CAP. II.

De Principio Cognoscendi.

CAP. III.

De Mediis Hermenevticæ S. Generalibus.

CAP. IV.

De Mediis Specialibus Externis, sive Ad-
miniculis Hermenevticæ S.

Class. 1.

De Adminiculis Grammaticis.

Class. 2.

De Adminiculis Logicis.

Class. 3.

De Adminiculis Rhetoricis.

Class. 4.

De Adminiculis Poëticis.

Class. 5.

De Adminiculis Historicis.

Class. 6.

De Adminiculis Realiuum Disciplinarum,
& Facultatum Superiorum.

CAP. V.

De

De Mediis internis, proprieque sic dictis.

Sectio Prima.

De Collatione Scripturæ S. in Fontibus.

Class. 1.

De Inspectione Fontium & verborum
Originalium Expositione.

Class. 2.

De Scrutinio Cohærentiæ Textus.

Class. 3.

De Collatione Antecedentium & Con-
sequentium.

Class. 4.

De Scopi Investigatione.

Class. 5.

De Circumstantiarum Consideratione.

Class. 6.

De Analogia Scripturæ.

Class. 7.

De Analogia Fidei.

Sectio Secunda.


De Collatione S. Literarum in Versionibus.

Sectio Tertia.

De Collatione Earundem in Commenta-
riis.

Sectio Quarta.

De Collatione illarum in Confectariis.



A. & Ω.

ELEMENTA
HERMENEVTICÆ SACRÆ.
CAPUT PRÆLIMINARE
De Natura & Constitutione Her-
menevticæ Sacræ.

§. I.
Hermenevtica S. vi vocis est facultas
interpretandi Scripturam Sacram.

§. II. Dicitur *Hermenevtica* a Græco
ἑρμηνεύω interpretor Joh. IX. 7. cuius co-
gnatum est *ἑρμηνεία* interpretatio I. Cor.
XIV. 26. *Sacra* in oppositione ad profa-
nam, idque ratione objecti sui adæquati,
quod est Scriptura S.

§. III. Vocatur alias *Theologia Exege-
tica* *ἄπο τῆς ἐξηγήσεως* quod est exponere
Actor. XV. 14. item *Donum propheticum*
προφητεία I. Cor. XIV. 1, sqq.

§. IV.

§. IV. Hanc *dari* probat (α) CHRIS-
TUS tum Verbo, Joh. V. 39. tum Exem-
plo Matth. V. per tot. (β) Chorus Prophe-
tarum Act. X. 43. Evangelistarum, Matth.
I. 22. Marc. XV. 28. Luc. III. 4. Joh. XIX. 36.
Apostolorum, Act. XXVI. 22. & Docto-
rum Ecclesiæ tam Veterum quam Recen-
tiorum.

§. V. *Necessitatem* ejus ostendit iterum
Christus Joh. V. 39. necnon Apostolus ex
Fine tum ipsius Hermenevticæ, qui est
ædificatio Ecclesiæ I. Cor. XIV. 3. 4. 5. 12.
19. tum Scripturæ, qui est fides in Chri-
stum ad salutem, 2. Tim. III. 15.

§. VI. Differt ab *Arte Concionandi* sive
Homiletica Sacra, tum *formaliter*: *Illa*
sensum verum ex Scriptura eruere & usum
hinc porismaticè deducere: *Hæc* Oratio-
nem Ecclesiasticam de textu S. ad populum
habere docet; tum *originaliter*: *Illa* Di-
alecticæ; *Hæc* Rhetoricæ propago est.

§. VII. Plenius ita describitur: *Hermenevtica S. est Scientia practica supernatu-
ralis, qua Theologus adminiculis atque me-
di- dinariis scienter instructus, in lu-
mine spiritus S. verum atque Divinum Scri-
pturæ S. sensum ex ipsa Scriptura harmo-
nic*

nice investigatum aliis interpretari, & ad usum salutarem & Ecclesie edificationem applicare potest.

§. IIX. Juxta methodum *Analyticam* tres ejus Partes constituimus. PRIMA de *Fine tum Objectivo, Scripturæ S. tum formali, Scripturæ S. genuina Interpretatione.* ALTERA de *Subjecto Operationistum Quod, Theologo sc. Exegeta; tum Quo, virtutibus ejus tum intellectualibus tum moralibus ad Scripturæ sensum conveniente modo indagandum requisitis.* TERTIA de *Principiis, Adminiculis, & Mediis ad hunc finem ducentibus* aget.

PARS I.

DE FINE HERMENEUTICÆ S.

CAP. I.

De Fine Objectivo remoto atque mediato, seu Textu Scripturæ S. Interpretabili.

§. I.

Objectum remotum Theologiæ *linguæ* *generale* est Scriptura *Θεοπνευστος* Libris

PARS. I. CAP. I. DE FINE OBJECT. REMOTO. 3

Libris Canonice tum Vet. tum Nov. Testamenti comprehensa.

§. II. Objectum *Speciale* est vel integer aliquis *Liber* tam V. quam N. T. vel certa & peculiaris quædam *Libri Sectio*; vel certum aliquod *Caput*; aut *Capitis distincta Particula*; vel *Enunciatio* & *singulare* aliquod *Dictum* sive *Didascalicum*, sive *Elenchiticum*, sive *Pædeuticum*, sive *Epanorthoticum*, sive *Paracleticum*, aut omnino tale, ut unum ex hisce prædominetur.

§. III. Si *Scripturam* in tota sua latitudine spectes, *Textus* ejus *interpretabiles* commode dividi possunt in *Primarios* & *Secundarios*. Illi dogmata salutem æternam adepturo simpliciter cognitu aut factu necessaria; *Hi*, quæ per se ad hominum salutem non ordinantur, concernunt.

§. IV. Utriusque generis *textus* varie iterum pro diversitate *materie specialis*, circa quam versantur, subdividi possunt. Sic enim alius dicitur *Historicus*, alius *Allegoricus*, alius *Typicus*, alius *Parabolicus*, alius *Paradigmaticus*, alius *Epaneticus*, alius *Legalis*, alius *Evangelicus*, alius *Propheticus*, alius *Apostolicus*, alius *Primitivus*, alius *Derivativus*.

§. V.

4 CAP. II, DE TEXTU ORIG. SCRIPT. V. T.

§. V. Potest etiam Scriptura Canonica spectari vel in textu suo *Primigenio*, vel in *Versionibus*. Textus Primigenius est vel *Hebraeus Vet.* vel *Græcus Nov. Test.* Utrumque considerabimus tum in se, tum in *contextu*, seu integra verborum structura,

CAP. II.

De Textu Originali Scripturæ V. T.

§. I.

Scriptura Canonica V. T. ratione materiae ex qua, a parte potiori spectatae, ex verbis *idiomaticis Hebraei* est concinnata: quod Judæis, inter quos ~~vixerunt~~ ejus Scriptores, Sermo Hebraeus vernaculus esset.

§. II. Hic Textus Hebraeus considerari meretur tum in Partibus, h. e. elementis, quibus exaratus, tum in toto Corpore. *Elementa* sunt partim *Characteristica consonantes*, partim *Puncta* tum *vocalia* tum *distinctiva*.

§. III. Modernorum Criticorum non pauci cum Hieronymo Scripturam V. T. primum *Samaritano caractere* exaratam fuisse

fuisse in archetypo sentiunt. Nobis vero suppetunt rationes gravissimæ, quæ genuinam communis illius *quadrata literaturæ* antiquitatem sufficienter adstruunt.

§. IV. Puncta tum vocalia tum distinctiva conjunctim requiruntur ad picturam vocum Hebraicarum, juxta tritum illud: *Sine supra & infra* (h. e. sine accentibus & vocalibus) *non potest intelligi Scriptura.*

§. V. Horum *divinitatem* primo a Scripturæ fine exigî; deinde in re ipsa & facto ostendi, contra Ludovicum Cappellum, post Jo. Buxtorffium Dissertatione peculiari de punctorum antiquitate & origine, pluribus docuit Matthias Wasmuthus Parte I. vindiciarum S. Hebraicæ Scripturæ.

§. VI. Totum Scripturæ V. T. *Corpus & Systema* integrum Esdras & Viri Synagogæ magnæ reliqui sic absolverunt, ut, examinatis Libris Sacris, Propheticos & Canonicos numero *viginti duos* a cæteris discriminent, ac in tres classes, nempe תורה *sive Legem Mosis*: Ⲁⲛⲓⲁⲓ *Prophetas* (priores & posteriores) & Ⲁⲛⲓⲁⲓ *Hagiographos* distinguerent. Cujus distinctionis vestigia extant Luc. XVI. 19. XXIV. 14.

§. VII.

6 CAP. III. DE TEXT. PRIM. SCRIPT. N. T.

§. VII. *Dispositio, series & ordo* Librorum V. T. apud Hebræos modernos paulo aliter se habet, quam apud Christianos. Sed facilis est horum cum illis conciliatio.

§. IIX. Sectiones Scripturæ Hebraicæ sunt vel *maiores*, Parascha & Haphtaræ; vel *minores*, Perek & Silluk.

§. IX. Cæterum Scriptura hodie alia nobis non suppetit quam *apographa*, ad quam etiam CHRISTUS tum in Sabbathis prælectam remisit Auditores suos Joh. V. 39.

§ X. De *MScTis* Judæorum Codicibus eorumque duobus distinctis generibus erudite agit Richardus Simonius *Histor. Crit. V. T. Lib. I. cap. XX. XXI. XXII. f. III. sqq. Excusa* exemplaria quod attinet, per multa illa sunt & varii generis.

CAP. III.

De Textu primigenio Scripturæ
Nov. Test.

§. I.

Scripturæ N. T. Libri *Græco idiomate* omnes consignati sunt: quod Lingva hæc inter Iudæos pariter ac Gentes fere omnes ad regnum CHRISTI vocandos, tempore Apostolorum, invaluisse.

§. II.

§. II. Qui lingua *Hellenistica* Scripturam N. T. cum Scaligero conscriptam esse dicunt, non equidem novam plane lingvæ speciem, a peculiari Gente Hellenistica ortam, subintroducere, sed eruditam hoc nomine intelligendi ac observandi diligentiam apud omnes Interpretes excitare, adeoque signantius Styli Biblici Græci a Stylo profanorum Scriptorum vel maxime diversi formam atque characterem ipsis commendare satagunt.

§. III. Neque enim *pure Græco* sed *Hebraïsmis* innumeris *permixto* idiomate conscripta est Scriptura N. T. idque varias ob causas, maxime ob arcanum illud conjungendæ cum Iudæis Gentilitatis mysterium Eph. II. 14. 16. & Scripturæ utriusque Testam. *συνφωρίαν* tam in verbis quam in rebus observandam.

§. IV. Quæ vero Sebastianus Pfoch enius in diatribe de *Lingvæ Græcæ N. T. Puritate* contra molitus est, hautquaquam Eruditis satisfacere possunt. Quæ enim hic attulit exempla paucissima jam pridem censura perstrinxit Thomæ Gatakeri.

§. V. Ad Textus Græci in suis elementis vel partibus spectati perfectionem pertinent

tenent etiam *nota Spirituum & Accentuum*: quorum absentia sæpenumero reddit voces dubias & ambiguas.

§. VI. Partes etiam Textus Græci N. T. constituunt (α) *Dicta* innumera ex V. T. *allegata*, in quibus Scriptores Sacri plerumque sequuntur LXX. Interpretum Versionem Græcam; nec non (β) *Versus Poetarum* aliquot Gentilium; & (γ) *Ἄγγραφα* alia hic demum adducta.

§. VII. Integrum Scripturæ N. T. Systema triplici modo communiter solet dividi, in *Libros*, *Capita*, & *Commata* seu *Versiculos*.

§. VIII. Libri distinguuntur in *Historicos*, CHRISTI vitam & res gestas Apostolorum describentes; *Dogmaticos*, ut sunt *Epistolæ Apostolicæ* & *Propheticum*, ut est *Apocalypsis*.

§. IX. Quo ordine, loco, ac tempore hi Libri scripti fuerint, partim ex *Historia Ecclesiastica*; partim ex modo scribendi; partim ex propria Scriptorum Sacrerum Confessione dijudicandum.

§. X. *Tituli* N. T. Libris præfixi una cum *Subscriptionibus* Epistolarum ab ipsis *Autori-*

Autoribus Θεοπνεύστοις haut provenisse notandum.

§. XI. *Capitum Distinctio*, quæ hodie extat, nova plane non est, sed a priorum Seculorum Patribus excogitata & inventa.

§. XII. *Distinctio Versuum* est vel *Antiqua* per σίχης seu lineas in autographo numeratos; vel *Intermedia* per literas alphabeti unciales; vel *Hodierna* per numeros, seu ciphras.

§. XIII. Codices Scripturæ N. T. sunt vel *Manuscripti*, vel *Impressi*. Ex illis, quorum magna se in Bibliothecis offert copia, est antiquissima ætatis Codex Academiae Contabrigiensis in Anglia. Inter editiones impressas omnium prima fuit Complutensium, Francisco Ximeno curante Anno 1515.

CAP. IV.

De Contextu Scripturæ S. seu Integra Verborum Structura.

§. I.

Scripturæ Interpretabilis materia proxima sunt Verba Hebræi ac Græci Idiomatis in *contextu* usui loquendi convenienter

nienter constructa, & ad res ipsas Lectoris intellectui repræsentandas inter se coordinata.

§. II. Est autem *Structura verborum* non ubique & per universam Scripturam *una & eadem*, sed prout Scriptores Sacri ingenio, affectibus, & moribus diversi, ac generi dicendi diverso adsveti fuerunt; ita & *structura Vocum*, *Stylusque Scripturæ* variat.

§. III. Proprietas nempe *Styli uniformis* quoad *substantiam*, in utroque Testamento Corpore, existit, ut unum Os omnium Θεοπνεύτων fuisse videatur; sed quoad *accidentalem Styli conformitatem* singulari συγκαταβάσει Spiritus S. se dimisit ad ingenia, studia, & nationes Scriptorum Sacrorum.

§. IV. In specie circa integram Verborum structuram observandum est: Longe *majoris difficultatis* esse, Hebraicum antiqui fœderis textum interpretari, quam si codex ille Syriaco, Arabico, vel quovis alio Orientali Idiomate fuisset conscriptus.

§. V. Sed & hoc tenendum: non *varias tantum; complurium Vocum Hebraicarum atque Phœnicum significaciones*

tiones periisse, sed & vias quascunque nobis præclusas esse, quibus ad multarum rerum exactam notitiam, si adhuc suppetent, pervenire possemus.

§. VI. Præterea caute distingvendum est inter ea, quæ ipsa Scriptura loquitur, & quæ tantummodo in Scriptura ab aliis dicta commemorantur.

§. VII. Quin & hoc observatione dignum: Libellos quosque sacros *primario* propter illos homines fuisse conscriptos, qui eo Seculo vixerunt, quo illi conscriberentur: ac proinde mirum videri non debere, si in singulis Codicis S. Libris multa reperiantur, quæ ad *homines eo seculo* viventes præcipue pertineant, & ad certa quædam tempora, locos, consuetudines, placita, historias alludant.

§. XIII. In Scripturis autem *Propheticis* verosimile est, non pauca reperiri, quæ non tam nostra, vel præterita, quam *futura* adhuc tempora respiciunt, & Posteris demum clariora sint evasura.

§. IX. Denique ex Augustini L. II. de Doctr. Christ. c. VI, notandum: *In omni*

B Scriptu-

*Scripturarum Sanctarum copia nos pasci
apertis, exerceri obscuris. Illic famens
pelli, hic fastidium. Scite Gregorius M.
Scripturam assimilavit mari, in quo &
Elephas natat, & Agnus peditare possit.*

CAP. V. De Versionibus Scripturæ S.

§. I.

Versiones Scripturæ commode distin-
gvi possunt in eas, quas *Orientalis*, &
istas, quas *Occidentalis* Ecclesia suppeditat.

§. II. Ecclesiæ *Orientalis* Versiones ce-
lebriores, ac Interpreti non raro consu-
lendæ, sunt fere sequentes: (α) Paraphrasis
Chaldaica sextuplex. (β) Versio Græca
LXX. viralis. (γ) Versio Syriaca V. T.
gemina. (δ) Versio Syriaca N. T. antiquis-
sima. (ε) Versio V. T. Arabica duplex. (ζ)
Novum Testam. Arabicum incerti Autoris
quoad plerosque libros. (η) Translatio to-
tius Pentateuchi in Dialectum Samarita-
nam. (θ) Pentateuchus Persicus, & Evan-
gelia IV. Persica. (ι) Psalterium, Canticum
Canticorum, & totum Nov. Testam. Æ-
thi-

thiopicum. (κ) Integra Biblia Armeno sermone exposita. (λ) Translatio V. & N. Test. vulgari modernorum Græcorum Lingva. (μ) Versio N. T. Hebraica.

§. III. Ecclesiæ Occidentalis Versiones potiores sunt: (a) Latina Vulgati Interpretis (b) Sancti Pagnini nova. (c) Benedicti Ariæ Montani versio interlinearis. (d) Sebast. Münsteri Versio idiotismos Hebræos affectans. (e) Seb. Castellionis, purioris Latinitatis maxime studiosa. (f) Tigurina, Vatabli, Tremellii, & Junii Versio utriusque Testam. (g) Erasmi ac Bezae versio N. T. (h) Seb. Schmidii Versio Latina textui primigenio exacte conformis. (i) Ioh. Dietenbergeri, Eccii, & Lutheri nostri versio Germanica. (k) Tigurinorum, Io. Piscatoris, & Belgarum versio. Quæ postrema omnibus reliquis inter Germanicas palmam præripit.

§. IV. Mitto nunc cæteras ad posteriorem hanc classem pertinentes versiones Bibliorum Italicæ, Gallicæ, Hispanicæ, & aliarum Lingvarum exoticarum innu-

meras, utpote minoris usus Interpreti, præ
iis quæ jam recensuimus.

§. V. Dignus est, qui de his omnibus
legatur Richardus Simonius in *Historia
Critica Vet. & Nov. Testam.* Gallie Ro-
terodami anno 1685. & 1690. edita. Cui
jungi meretur Christianus Kortholtus in
Traëctatu de Variis Scripturæ Editionibus
Anno 1686. publica juris facta.

CAP. VI.

De Affectationibus utriusque Tex- tus Scripturæ Canonicae.

§. I.

Affectiones Scripturæ ex ejus *materia*
fluente ac proprie huc spectantes sunt
(α) Integritas & Puritas fontium. (β) Styli
Simplicitas cum Majestate conjuncta. (γ)
 $\Delta\epsilon\iota\omicron\tau\eta\varsigma$ seu Efficacia Styli. (δ) Ejus Evi-
dentia. (ϵ) Plenitudo. (ζ) Brevitas. (η) Ve-
recundia. (θ) Certitudo & Claritas. (ι) Co-
hærentia. (κ) Proprietas. De quibus pro-
lixè Flacius in *Clave Scripturæ*, & Glas-
sius

sius Philolog. S. L. I Tract. I. II. III. IV.
fol. 1. - 22. Nos breviter de singulis.

§. II. INTEGRITAS & PURITAS
FONTIUM est, quia Textus Hæbræus in
Vet. & Græcus in N. Test. sincerus, nul-
lamque sive per malitiam, sive per incuriam
hominum, quoad omnia exemplaria, cor-
ruptelam passus, sed integer & purus con-
servatus est.

§. III. Integritas fontis Hæbræi probatur (α)
ex vigili Dei pro verbo suo providentia
Matth. V, 18. (β) a Iudæorum Conditione,
qui nec voluerunt, nec potuerunt hanc Co-
dicem corrumpere. (γ) a Sepimenro le-
gis, Masora. (δ) a Collatione Codicum per
Iudæos & Christianos in lucem editorum.
(ε) a Rationum contrariarum imbecillitate.

§. IV. Textum Græcum Nov. Testi-
non esse corruptum probat: (α) Provi-
dentia divina circa verbum suum. (β)
Verbi divini duratio perpetua Luc. XXI,
33. (γ) Consensus exemplarium antiquo-
rum. (δ) Fidelis Ecclesiæ, ratione hujus
depositi, custodia. (ε) Argumentorum ad-
versæ partis infirmitas.

B 3

§. V.

§. V. **STYLI SIMPLICITAS**, cum **GRAVITATE** solo Deo digna, conjuncta est, qua creditu necessaria per nudas assertiones, sine demonstrationibus; & factu necessaria per nudas præceptiones, sine rationibus persvasoriis, & absque verborum lenociniis pro auctoritate, sine exceptione, omnibus credenda & agenda proponuntur.

§. VI. **ΔΕΥΟΤΗΣ & EFFICACIA** Scripturæ, ipsius sermonis qualitas est, vi quadam lectorem insigniter movens. Ejus ad cognitionem facit consideratio cum rebus, quibus ipse quasi sermo coloratur, & elegans redditur, tum elocutionis lumina, queis idem abundat.

§. VII. **EVIDENTIA** Styli Sacrarum Literarum ea virtus est, qua res quasi ante oculos spectandæ proponuntur. Et hæc iterum vel in rebus, vel in ipsa sermonis qualitate elucescit.

§. IIX. Styli **PLENITUDO** est, qua res plene, quantum omnino desiderari possit, exponitur.

§. IX. **BREVITAS** consistit (a) in rerum descri-

descriptione succincta. (β) in styli contormatione rotunda. (γ) in Sermonis cohæsi-
one. (δ) in ἐλλείψεων usurpatione. (ε) in
typorum, allegoriarum, & parabolarum
tractatione.

§. X. VERECUNDIA sive CASTITAS
Styli est, cum res alioquin obscœnas Scri-
ptura verbis honestis exprimit.

§. XI. CERTITUDINEM & CLARI-
TATEM Scripturæ quærimus (a) in Voci-
bus certa constructione inter se connexis.
(b) in fidei atque morum Dogmatibus. (c)
in Historiis ac Prophetiis ad salutem nobis
cognitu necessariis.

§. XII. COHÆRENTIA textus est, qua
omnia apte inter se sunt connexa, & suavif-
sime cohærent.

§ XIII. PROPRIETAS Stili conspici-
tur cum in variis vocum, phrasium, & lo-
cutionum idiotismis, tum in singulari ra-
tione literaturæ sacræ, quæ ex hæctenus
enumeratis ejus virtutibus simul conjun-
ctis oritur.

§. XIV. His, veluti appendicis loco, non
possumus non alias adhuc addere observa-

tiones, quæ vel ad *Claritatem* Scripturæ, vel ad ejus *Cohærentiam* spectant.

§. XV. Multa nempe in *Historia Chronologica, Topographica, Genealogica, & Onomastica* nobis ideo perquam obscura apparent, quoniam amissa sunt illa antiqua *Judæorum Monumenta*, quæ ad *Vet. Test.* tempora pertinebant.

§. XVI. De locis obscuris *Propheticis* haut immerito quis conjiciat, nonnullos ventura adhuc secula respicere, a quorum hominibus præcul dubio melius intelligentur.

§. XVII. *Methodus* Scripturæ non est quidem *Scholastica & delicata, congrua tamen & eximia*; nec unquam nisi justis de causis, aut mysticum aliquem ob finem, interrupta.

§. XIIX. Crebras, & nonnunquam satis prolixas *Digressiones*, in *Epistolis D. Pauli* cum primis, *Scioli* nonnulli minus scite improbant.

§. XIX. In ejusdem *D. Pauli*, aliorumque *Scriptorum Θεοπνεύτων* Scriptis, *methodus* nobis quandoque *neglectior* apparet, quoniam

niant

niam ad Spiritus S. in scribendo consilium, & idiotismum Lingvæ S. vel alias Circumstantias non satis attendimus.

§. XX. In *Concionibus Servatoris nostri* non raro observantur *intercisa & transitiones abruptæ*, non in congruæ, sed admodum præclare ab ipso adhibitæ.

§. XXI. Interdum vero accidit in utriusque Testam. Codice, ut ob *parenthesin* vel *omissam*, vel *perperam collocatam* orationis ordo multum turbatus aut læsus fuerit.

§. XXII. Ad hæc incuriosior, uti videtur, methodus Scripturæ N. T. in commoda *Capitum & commatum distinctioni*, nec non *verborum & sententiarum interpunctioni* interdum debetur.

§. XXIII. Quod denique in specie apparentem illam complurium *illationum & ratiocinationum* Scripturæ *ἀνακολουθία* seu *incoherentiam* attinet, sciendum, illam proficisci (α) ex *Particularum Hebraicarum mala interpretatione*. (β) ex *ignorantia figurati illius*, & aliquando *abrupti, argumentandi generis*, Orientalibus

usitati. (γ) ex formatione orationis, *collo-*
quii sive *dialogi* speciem occulte conti-

nentis. (δ) ex omissis vel male collocatis
parentheseos notis. (ε) ex ratione *argu-*
mentorum, non tam ad refutationem *Ad-*
versariorum, quam *Fidelium* confirmatio-

nem allatorum. (ζ) ex *συγκαταβάσει* ad
 Populum, *popularem ratiocinandi modum*
 desiderantem. (η) ex argumentandi ratione
κατ' ἀνθρώπων instituta. (θ) ex intermis-

sa *contextus & scopi* *Scriptoris* conside-

ratione.

CAP. VII.

De Fine Objectivo Proximo &
Immediato, sive Sensu Scriptu-
ræ Divino.

§. I.

SENSUS Verberum Scripturæ est id,
 quod Deus ipse *Scripturarum* *Autor* in
Scripturis & per *Scripturas* *hominibus*
 cognoscendum atque intelligendum ex-

hibet.

§. II. *Iudæi* *Scripturæ* *sensum* *faciunt*
 duplicem, *Literalem* unum, alterum *My-*
sticum

sticum. Illud פְּשׁוּטָה hunc מְדַרְשָׁה appel-
lant. Quæ distinctio etiam inter Chri-
stianos vulgo recepta est.

§. III. Apud Papæos interpretes divisio
sensus obtinuit, in *Literalem, Allegoricum,*
Tropologicum, & Anagogicum.

§. IV. Si ἀκριβολογεῖν volumus, Scri-
pturæ sensus non nisi *unus* est, isque *Lite-
ralis*, i. e. quem literæ & voces ex intenti-
one Spiritus S. sua significatione consti-
tuunt.

§. V. Nec tamen negamus *mystice* mul-
ta in S. literis accipi. Sed ratio *mystica*
non est vocum explicatio sive sensus, sed
rei vocibus significatæ ad alia, quam li-
tera fert, applicatio.

§. VI. Sensus literalis alicubi *Proprius*,
qui ex verbis in propria & nativa signifi-
catione acceptis; alibi *Figuratus* est, qui ex
Verbis tropo aliquo affectis, juxta intenti-
onem Spiritus S. immediate nascitur.

§. VII. De Sensu Scripturæ Canon ge-
neralis hic est: *Unius dicti non nisi unus*
datur Sensus literalis. Specialis iste: *Scri-
ptura non egreditur facile ex simplicitate*

sua, i.e. extra simplicem & proprium sensum, nisi figuratus, aut hic, aut alibi, evidenter detegatur.

§. IIX. Mystica Scripturæ applicatio fit vel ab *Autoribus Θεοπνεύστοις* in ipso DEI Verbo Scripto. Et sic est certa prorsus & infallibilis; vel a *Doctoribus aliis & Interpretibus ingenio & arte humana*. Quomodo ad Verbum DEI examinanda.

§. IX. Utraque est vel *Allegorica*, vel *Typica*, vel *Parabolica*.

§. X. *Allegorica* est rei alicujus spirituales per aliam in Scripturis narratam representatio. Conf. Gen. II. 24. cum Eph. V. 31. 32. Deut. XXV. 4. cum I. Cor. IX. 9. Pf. XIX. 5, cum Rom. X. 18.

§. XI. Præter Allegoriam Scripturæ *innatam*, datur etiam *illata*, eaque vel *spon- te oblata*, vel *admodum contorta*. Utraque ratione causæ efficientis in allegoriam (α) Iudæorum, (β) Patrum, (γ) Pontificiorum, & (δ) Aliorum, fabulas Gentiles mystice interpretantium, & ad S. Literas accommodantium dividi potest.

§. XII, *Typus* est rerum occultarum, si-
ve

ve præsentium, sive futurarum, sub exter-
nis factis, sive Prophetis Visionibus, figu-
ratio. Distingvitur in Propheticum &
Historicum,

§. XIII. Typus *Prophetie* consistit in
Propheticis ac typicis (α) *Actionibus* Es.
XX. 2. Ier. XIII. 1. Ezech. XII. 3. (β)
Visionibus hominum cum *dormientium*
Gen. XXIX. 12. coll. Ioh. I. 52. tum *vigi-*
lantium Ier. XXIV. 1. - 5. Ezech. XL, ad
fin.

§. XIV. Typus *Historie* est, quo res
gestæ V. T. adumbrant res gerendas in N.
T. maximeque ad CHRISTUM spectant.
Estque vel *innatus*, Ioh. III. 14. 15. ex Num.
XXI. 8. 9. vel ab Interprete *illatus*. Sunt
& aliæ quædam Typi Historici divisiones.

§. XV. *Parabola* est similitudo sive
Comparatio, qua res aliqua ut gesta & con-
fecta apposite fingitur ac narratur, & cum
alia re spiritali confertur, sive ad eam si-
gnificandam accommodatur. Differt ab
Historia objecto & usu, Constat *πρότασις*
& *ἀπόδοσις*.

§. XVI. Estque triplicis generis. Quæ-

dam continet *rem passim gestam* Matth. XIII. 33. Alia rem non quidem gestam, sed tamen *possibilem*, Joh. X. 45. 46. alia rem per naturam *impossibilem*, Iud. IX. 8.

§. VII. Parabolæ in Vet. Test. *rarius* in Nov. maxime a CHRISTO *crebrius* sunt usurpatæ. *Causæ* hujus rei aliæ concernunt Deum Matth. XIII. 34. 35. aliæ Homines eosque vel dociles & pios Marc. IV. p. 33. vel indociles, præfractos, & impios, idque tum per se, Matth. XXI. 33. 40. 41. 43. tum per accidens Matth. XIII. 10.

§. XVIII. Explicatio & applicatio Parabolæ est vel *innata* Matth. XIII. 3. - 9. & 18. - 23. vel *illata* ab Interpretibus.

§. XIX. Hæc Applicatio Scripturæ Mystica Sensum literalem Scripturæ nec evertit nec multiplicat, sed rem verbis literaliter significatam tantum ad objectum aliquod mysticum applicat.

§. XX. Sensus ergo literalis Scripturæ uti unicus, ita *perpetuus* & plane *immutabilis* est.

§. XXI. Unitatem sensus scripturæ excipiunt Affectiones adhuc duæ, *Veritas* sc. & *Bo-*

& *Bonitas*. Ad veritatem simul referri potest eius *Certitudo*.

§. *Verus* Sensus Scripturæ bifariam dicitur, vel *absolute*, qui quidem in se verus est, nec analogiæ fidei contrarius, sed a Spiritu S. non intentus, vel *relate*, qui præsentis oraculi unicus, genuinus, ac verissime a Spiritu S. intentus sensus est.

§. XXIII. Hunc Sensem Scripturæ dicimus esse *certo ac infallibiliter investigabilem*, ut Interpretes non tantum videat, hunc esse posse, sed hunc & non alium esse debere. Ubi tamen distingvimus inter *Certitudinem Divinam & Humanam*. *Illa* ex principio intrinseco; *Hæc* extrinseco nascitur.

§. XXIV. Ad *Objectiones Gretseri Jesuitæ*: Media Hermenevtica esse (α) Imperfecta (β) Insufficientia (γ) Suspecta (δ) Fallacia (ε) Ambigua (ζ) Exemplis Scripturæ contraria; jam pridem a Nostratibus solide responsum est.

§. XXV. *Bonitas* Sensus potissimum consistit in luce, quæ Scripturæ S. totaliter acceptæ Sensus in oculo Interpretis idoneo
non

non solum ipse per se luminosus, sed & luminificans existit.

CAP. VIII.

De Fine formali Hermenevticæ S. feu Interpretatione Scripturæ.

§. I.

Pontificii ex prava *hypothesi* censent Scripturam commode se interpretari posse juxta diversos sensus suos, literalem allegoricum, tropologicum, & anagogicum.

§. II. Alii methodum Scripturas interpretandi distinguunt in *adstrictam* vel *liberam*. Illam vocant *continuam*, hanc *interruptam*.

§. III. *Libera* est, qua pro diverso instituto suo aliquis libere utitur, ut sese ad verba Scripturæ S. non præcise adstringat, sive textum *κατὰ πρόδα* sequatur. *Adstricta* vero, quæ textus vestigia arcte premit.

§. IV. Liberam non attendit Hermenevtica S. sed *Adstrictam*. Hæc est vel *Verborum* & dicitur *Μετὰ Φρασις* *Translatio*.

latio, vel *Rerum* & vocatur *Ἐξηγησις*, Explicatio. Non prior, sed posterior hujus loci est.

§. V. Et hæc in duobus consistit actibus. Veri sc. sensus *Enarratione*, ejus, idemque ad salutarem usum *Applicatione*.

§. VI. *Illæ* est, quæ explicandæ Scripturæ scopus eruitur & indicatur una cum themate, quod tractatur, & argumentis, quibus illud vel declaratur vel confirmatur.

§. VII. *Hæc* est, cum ex Scriptura jam explicata profertur *Accomodatio* quintuplex, vel ad Didascaliam, vel ad Elenchum, vel ad Pædiam, vel ad Epanorthosin vel ad Paraclesin, i. Tim. III. 16, Rom. XIV. 4.

§. VIII. Potest autem hæc Interpretatio Scripturæ commode distingui in *Acroamaticam* sive Exquisite, & *Exotericam* sive Popularem.

§. IX. *Acroamatica* & verba & res verbis indicatas accurate ac studiose persequitur, & rationes ubique sensus investigati reddit, omnesque alios sensus
erro-

erroribus involutos idoneis argumentis impugnat, ut verus ille fortiter ac constanter vindicetur, Conclusiones Theologicae ex eo fluentes monstrantur, controversiae textuales ab Adversariis motae ventilentur, nihilque omittatur eorum, quæ tum ad sensum, tum ad usum Scripturæ eruendum, confirmandum, defendendum facere quoquo modo videantur.

§. X. *Exoterica* eundem Scripturæ sensum certum exploratumque sistit, sed populariter pro omnium captu Rhetoricis documentis illustrandum, saltem ut ad confirmationem fidei ac morum, compositionem faciat.

§. XI. *Præius*, Commentationis genus Scholis præcipue Academicis asserendum; *posterius* Verbi præconibus est proprium. *Utrumque* magnam curam, attentionem, animi vigilantiam, laborem atque diligentiam ab Interprete exigit, antequam aliis sensus Scripturæ investigatus tradatur.

§. XII. In Acroamatica nonnulli respiciendum esse dicunt ad textus ἀνάλυσιν & ἐπίλυσιν. *Analysin* vocant dispositionem,

nem, una cum ratione ordinis ac nexus, nec non argumento, textui explicando præmittendam. *Epilyfin* commodissime expediri posse putant per quatuor Sectiones, *Exegeticam, Elencticam, Practicam, & Miscellam.*

§. XIII. Nos quicquid præceptorum a quovis Interprete Scripturæ studiose attendendum observandumque deposcimus, inque Parte III. explanaturi sumus plerans hic breviter ac, velut in *Synopsi* prælibandum esse censemus.

§. XIV. Sit igitur Interpres *Linguarum Orientalium, Philosophia, & Artium instrumentalium, Logicæ ac Rhetoricæ, Historicæ, ac veterum Rituum* cognitione imbutus.

§. XV. Excutiat probe ante ipsorum *Verborum*, quæ explicanda sunt, enodationem, circumstantias *personarum, loci, ac temporis*, sc. a quo, ad quem, ubi, & quando aliquid dictum, scriptumve sit, & in personis τὰ ἡθῆ καὶ πάθη vel maxime attendat.

§. XVI. *Scopum* totius libri prius genera-

nera-

neralem, post *specialem* singulorum Capitulum, aut Textuum attendat, eoqve nomine Librum vel Caput integrum, ex quo textus de promptus est, cum cura aliquoties legat & relegat.

§. XVII. *Analysin* singulorum Capitulum vel Textuum exquisite instituat, eiusqve beneficio conferat *antecedentia* & *consequentia*, observet cuiusqve commatis cum præcedente *connexionem*, examina & *prepositiones*, & deniqve *argumenta* probantia, explicantia, & illustrantia bene discriminet atqve ordinet.

§. XVIII. Singularum rerum & phrasum *significationes*, *emphases*, *constructiones*, & *usum* imprimis, quem in Scripturis alibi obtinent, ope Concordantiarum contempletur, & ex iis illam notionem hic & nunc eligat, quam cum *συνάφεια* textus & contextus, nec non cum locis quo ad rem parallelis convenire intelligit.

§. XIX. Porro *rem ipsam* penitius introspeciat, & quomodo eadem materia alibi in Scriptura proposita cum textu explican-

plicando consentiat, attente cogitet ac meditetur, sique *contradictio* aliqua appareat, commoda quædam & ex ipsis Scripturæ visceribus deprompta conciliatione sapienter tollat.

§. XX. *Analogiam fidei* semper & ubique, maxime in textibus dogmaticis consulat, sedem cujusque doctrinæ sive fidei sive morum propriam & genuinam in ipsa Scriptura expendens, in qua ista verbis claris & perspicuis traditur.

§. XXI. Hujus ductu eliciat insuper *Consectaria* h. e. Doctrinas fidei & morum, quæ in quolibet Scripturæ versu virtualiter reconditæ latent.

§. XXII. Tandem nec *Aliorum* labores in Scripturæ explanatione impensos spernat, modo cum delectu & iudicio consulantur.

PARS

PARS II.
DE SUBJECTO HERMENEV-
TICÆ SACRÆ.

CAP. I.

De S. Literarum Tractatore in
genere.

§. I.

Theologiæ Exegeticæ *Subiectum Ope-
rationis*, in quod Finis Hermenevticæ
S. P. I. descriptus introduci debet, distin-
gvitur in *Adequatum* sive commune, &
Principale sive proprium. *Illud* est omnis
Homo ad Christum convertendus sive
jam conversus, Joh. V, 39. *Hoc* vero est
Homo DEI 2. Tim, III, 17. i, e. Studiosus
Theologiæ.

§. II. Interpretes enim Scripturæ est vel
Sibi vel *Aliis*. *Sibi* Interpretes esse potest
quilibet Christianus; *Aliis* interpretes est
Theologus Exegeta.

§. III. *Communitatem* hujus officii
Hermenevtici intimat (a) DEI *manda-
tum de legendis & scrutandis Scripturis*
Deut.

Deut. XVII, 19. Esa. XXXIV, 16. Joh. V, 39. (β) *Promissum* $\Theta\sigma\delta\iota\delta\acute{\alpha}\xi\epsilon\omega\varsigma$ Esa. LIV, 13. Jer. XXXI, 34. Joh. VI, 44 45. Joel. II, 28. (γ) *Interdictum* de non extinguendis Spiritibus, sed probandis I. Thes. V, 19. 20. (δ) *Votum* Mosaicum Num. XI, 29. (ϵ) *Exemplum* Piorum Act. XVII, 11. XIX, 21. 24.

§. IV. Sed hic tenenda est *ordinis vocationis, modi, gradus, & talentorum* differentia. Christianus *Idiota* sensum Scripturæ in tantum investigare intendit, quantum ipsi ad salutem sufficit, sine artificio. *Anagnostes* exercitiores sensus habens sedulo confert loca parallela & unum per alterum exponit. Theologus denique *Exegeta* totus quasi oculatus intimiora Scripturæ viscera perreptat.

§. V. Probe igitur distinguendum inter *privatam* Scripturæ interpretationem, quæ ad omnes Christianos pertinet Joh. V, 39. & *publicam*, quæ ad publicum Doctorum & Pastorum Ecclesiæ munus restringitur. Hæc enim non sunt confundenda cum Anabaptistis,

§. VI. Et

§. VI. Et *publici* hujusmodi Doctoris
sive *Interpretis* rationem habuit B. Augu-
stinus L. IV. de Doctr. Christ. c. IV. Scri-
pturae Tractatorem formaturo, & nos cum,
ipso in hoc Hermenevticæ S. compendio.

CAP. II.

De Interpretis Scripturae Ἰκανότητι
seu Aptitudine.

§. I.

Subjectum Quo Theologiae Exegeticae
est ἰκανότης, aptitudo, & facultas Her-
menevtica.

§. II. Ea distingvi potest in *Dispositi-
uam* & *Perfectivam*. Illam vocamus ido-
neitatem *primam*, inchoatam, & passi-
vam; Hanc ex opposito *secundam*, habi-
tualem, & activam.

§. III. Prior ἰκανότης omnibus homi-
nibus communis ex dono scilicet creatio-
nis profecta; posterior est donum Θεοσ-
δοτου ac propheticum.

§. IV. Illud Donum vel extra ordi-
nem infusum fuit χάρισμα in primitiva
Ecclesia illustre, 1. Cor. XIV, 1. - 26. vel
ordi-

ordinario studio adqvisitum, quo ut omnis alius Theologicus, sic & Hermenev-
ticus habitus est comparandus.

§. V. Constat autem illa *ἐκδοότης* tum
Vitiorum naturalium *remotione*, I. Cor.
III, 13. tum bene constitutæ habitudinis
oppositicne.

§. VI. Vitia naturalia, quæ in intelli-
gentia Sripturarum impeditur, sunt par-
tim in Mente sive *Intellectu* Hominis per
lapsum corrupti, partim in *Voluntate*, par-
tim in *Appetitu sensitivo*.

§. VII. Ex mente sive Intellectu remo-
venda est (α) *Ἰδιογνωμοσύνη*, seu vana
scientiæ Persvasio (β) Curiositas insana.
(γ) Præconcepta Opinio.

§. IIX. Ex *Voluntate* ejicienda est (a)
Ἀυθαδέεια arrogantia & pertinacia. (b)
Temeritas præsumtuosa. (c) Socordia &
negligentia.

§. IX. Ex *Appetitu* denique *sensitivo*
exterminanda est *Φιλαντία* inordinata seu
Amor sui inordinatus.

§. X. Ad *ἐυθεσίαν* seu bene constitutam
Habitudinem pertinet (A) TIMOR DEI,
C qui

qui Comites habet (α) Pietatem ac reverentiam erga Verbi divini majestatem. (β) Mentis puritatem. (γ) Flagrantem Veritatis inveniendæ Amorem. (δ) Docilitatem in lege DEI Ps. I. 1. & XIX. per tot.

§. XI. (B) INGENII BONITAS SOLERS magis quam acuta. Solertia hæc ingenii constat (α) Αγχινοία sive Sagacitate in conjectando. (β) Ἐπινοία seu Facilitate in indagando. (γ) Παρομοίωσις i. e. morum & affectuum cum Scriptore Divino conformatione.

§. XII. (C) PHANTASIÆ DEXTERITAS, ut Interpres se Prothei instar mutet in omnes formas.

§. XIII. (D) VOLUNTATIS INDUSTRIA, quæ singulas etiam minutias, quantum ad sensus veritatem interest, conlectetur.

§. XIV. (E) Ejusdem Voluntatis infucata & DEO devota ac obsequiosa SIMPLICITAS errori, curiositati, ac aliis hujus generis vitiis, neutiquam pleniori cognitionis lumini opposita.

§. XV. (F), *Affectuum ἰστασία* sive
SIN

SINCERITAS, ne ad Scripturæ lectio-
nem accedat Homo, variis vitiosis affe-
ctibus, odio sc. invidia, *Φιλονησία*, perti-
nacia fasciatus.

§. XVI. (G) **ANIMI HUMILITAS**
Prophetis ac ministris Spiritus S. subdita
2. Cor. XIV. 32.

§. XVII. (H) **ÆTATIS maturitas**,
de qua audiendus Hieronymus Prooemio
Commentarii in Obadiam.

§. XVIII. (I) *Πολυμαθεία* sive **PERI-
TIA** variarum Lingvarum, non modo ori-
ginalium, sed & aliarum exoticarum, tum
Disciplinarum, sive instrumentalium, sive
realium.

§. XIX. (K) **PRUDENTIA** in reci-
piendis aliorum sententiis, in æstuman-
dis locis parallelis, in dijudicandis aliis
pluribus.

§. XX. (L) *Ευφραδία* seu **BENE DIS-
SERENDI FACULTAS**, qua non sibi so-
li scire, sed & aliis Scripturæ sensum non
tam eloquenter, quam sapienter recludere
atque communicare possit. Suntque duo
hic vitandi scopuli: Odiosa sc. *Obscuritas*,
& tædiosa *Prolixitas*.

C 2

PARS

PARS III.
DE PRINCIPIIS ET MEDIIS
HERMENEVTICÆ
SACRÆ.

CAP. I.
De Principio Essendi.

§. I.

Prinzipium essendi dicimus, cujus singulari illuminatione interna efficitur, ut Homo DEI sive Theologus Scripturæ S. Sensum infallibiliter ac salutariter cognoscat.

§. II. Hoc Principium est *Spiritus S.* 1. Cor. XII, 11. (non excluso tamen Patre Heb. I, 1. & Filio Luc. XXIV, 45.) utpote sine cujus illuminatione Scripturæ sensus verus, nec infallibiliter, nec salutariter cognosci potest.

§. III. Quod ita contra *Socinianos* tenendum, ne tamen cum *Enthusiasticis* Spiritum S. a Scriptura separemus, aut illi opponamus.

§. IV. Principaliter scilicet a Spiritu
S. flu-

CAP. II. DE PRINCIPIO COGNOSCENDI. 39

S. fuit cognitio viva & salutaris veri sensus Scripturæ; *Organice* vero simul ab ipsa Scriptura, quæ nunquam a Spiritu S. sejuncta, aut separata est.

§. V. Paulus *Verbum* $\pi\rho\sigma\phi\alpha\rho\gamma\iota\kappa\acute{o}\nu$, in Convictione conscientiarum de vero & genuino Scripturæ sensu, non frustra conjungit cum *Verbo* $\upsilon\pi\omicron\sigma\alpha\lambda\iota\kappa\acute{o}$ Heb. IV, 12.

CAP. II.

De Principio Cognoscendi.

§. I.

P *Principium cognoscendi* vocamus, unde Interpres de vero Scripturæ sensu fide Divina certus esse potest.

§. II. Et hoc est *ipsa Scriptura S.* quæ semet ipsam interpretandi facultatem habet, adeoque sui ipsius interpretis est infallibilis.

§. III. Unde Canon Hermenevticus: *Scriptura per Scripturam est explicanda.* vel, Scripturæ sensus ex ipsa Scriptura est eruendus. Id quod variis argumentis evinci potest.

§. IV. Dicitur autem Scriptura semet

○CAP. II DE PRINCIPIO COGNOSCENDI:

ipsam explicare vel *actu*, cum statim a se dictis subjungit explicationem ipsam, v.g. Joh. XI. 2. Apoc. V, 8. &c. vel. *potentia*, cum media Scripturas interpretandi (ut sunt Textus originalis, *σώμα & ὕψος*, Scopus tum generalis tum specialis, Paralelismus & verbalis & realis, Analogia fidei.) suppeditat.

§. V. Falsum igitur Principium cognoscendi in Theologia Exegetica est (A) SPIRITUS FANATICUS ENTHUSIASTARUM, qui jactitant, se ante verbum, ac sine verbo Spiritum habere, & ideo Scripturam seu Vocale Verbum judicant, *Beccunt*, ac reflectunt pro lubitu.

§. VI. (B) RATIO HUMANA, a Socinianis sumta in hoc negotio cum *subjective* pro facultate percipiente, tum *objective* pro axiomatibus rationis ac principiis Philosophicis.

§. VII. (C) ECCLESIA, h. e. ut Papistæ volunt, Concilium Episcoporum a Pontifice Rom. confirmatum, vel ipse Pontifex sive Solus, sive cum Concilio Episcoporum.

§. IIX.

§. IIX. (D) PATRUM CONSENSUS, ita ut quicquid omnes pariter Patres aperte, frequenter, ac perseveranter de sensu Scripturæ tenuisse, scripserunt, docuisse cognoverimus, pro vero Scripturæ sensu habeamus.

§. IX. Liberato sic vero Principio cognoscendi a Principiis falsis, quæstio primaria hæc est: *Unde scis vel cognoscis, hunc aut illum esse sincerum ac legitimum Scripturæ sensum?*

§. X. Responsio simplex ac brevis hæc est: Ego scio infallibiliter hunc esse Scripturæ sensum & non alium (a) ex *doctrina* *divina cælitus mandata* 2. Cor. XIII, 5. 1. Thes. V, 31. 1. Joh. IV, 1. (β) *per diavolum* *divinitus consecratam* 2. Pet. III, 1. & *illuminatam* Eph. I, 18. Heb. IIX, 10. 1. Joh. V, 20.

CAP. III.

De Mediis Hermenevticæ S. generalibus.

§. I.

Media generalia, sive Theologiæ Exegeticæ cum omnibus reliquis Theolo-

giæ partib9 communia sunt hæc tria: ORATIO, MEDITATIO, TENTATIO.

§. II. ORATIO est humilis ac fiducialis divinæ illuminationis ac salutaris profectus in studio exegetico Scripturæ S. sollicitatio, sive hæc fiat ore ac voce per preces & hymnos; sive cordis suspiriis, subinde in Verbi divini tractatione ad Deum missis.

§. III. *Formam rogandi* suo exemplo præivit rex entheatus David Pf. CXIX. per tot. Potest etiam hic adhiberi *Paulina precatio* Eph. I, 17. ad fin. nec non *Augustini oratio*, quæ extat L. II. Confess. c. XI.

§. IV. MEDITATIO est Scripturæ S. & quæ ex ea & circa eam discenda sunt, attenta consideratio. Conf. Pf. I, 2.

§. V. Includit hæc Verbi divini tractationem tam *extrinsecam* sive lectionem, quam *intrinsecam* sive sensus veri investigationem.

§. VI. LECTIO Scripturæ S. sit prora & puppis Studii Hermenevtici. Conf. 1. Tim. IV, 13. cum 2. Tim. III, 15. Hanc Regulæ sequentes dirigunt:

§. VII.

§. VII. (A) Lectioni Scripturæ a primis statim annis, horæ diei optimæ, i. e. *matutine* sunt tribuendæ.

§. IIX. (B) Ut unius Historiæ integræ cohærentiam, & ex illa factorum ac dictorum consequentium causas odorari ac demonstrare paulatim discas, tot quolibet die sunt perlegenda *Capita*, quot inter se ratione argumenti cohærere atque congruere videbuntur.

§. IX. (C) In lectione cursoria attendendum est primo ad *Summam* librorum & capitum; deinde etiam ad *Dicta* cuiuslibet capituli potiora.

§. X. (D) *Loca difficiliora & obscura* in lectione quotidiana prætereas, seponas, aut in charta quadam peculiari in hunc usum compacta notes; in Contextuum vero lectione pergas, & postea difficilioris loci declarationem in Commentatore probato quæras, aut a Viro erudito petas, donec ipse quoque per longiorem usum talia difficiliora enodare didiceris loca.

§. XI. (E) Librum, quem explicare debes vel pro suggestu Ecclesiastico, vel in

cathedra Academica, *integrum* certo tempore legas ac sæpius relegas. Sic enim scopum Scriptoris sacri, ejusque varias materias & partes totius libri, earumque inter se cohærentiam facilius certiusque investigabis.

§. XII. (F) Unius dicti Scripturæ S. rite explicandi causa sæpius *integer Propheta* vel *integra Pauli Epistola*, unde dictum depromptum est, aliquoties evolvi ac perlegi debet.

§. XIII. (G) Initio ea lingua, quæ tibi est *vernacula*, Scripturam legere debes: quia nullam linguam melius & altius intelligit homo, quam vernaculam.

§. XIV. (H) Cursoria lectio *Hebræi & Græci* Codicis, quin & *Latini*, ab harum linguarum peritis suscipiatur semel atque iterum, vernaculo Codice jam sæpius evoluto.

§. XV. (I) Multos subinde *novos* Codices sibi comparare Biblicos, sive vernaculos, sive Græcos & Hebræos, abjectis veteribus plus satis tritis, est valde noxium in studio exegetico.

§. XVI.

§. XVI. (K) In quocunque autem Codice sive originali, sive vernaculo legamus Scripturam, ea semper legenda est *reverenter, humiliter ferventer.*

§. XVII. INVESTIGATIO est medium interpretationis Scripturæ S. adæquatum a CHRISTO Joh. V. 39. sub verbo valde emphatico *ἐρευνᾶτε* monstratum.

§. XIX. Hæc *Indago*, vel *ἐρευνᾶτε*, debet esse (α) Pia, sancta, & devota. (β) Accurata, minimeque ignava, & perfunctoria. (γ) Ad certitudinem infallibilem usque defixa. (δ) Aptitudini a Deo concessæ congrua. (ε) Intenta in sensum relative verum, ac intentioni Spiritus S. conformem. (ζ) Sensus literalis, præ mystico & argumentativo; nec non proprii, præ figurato, studiosa.

§. XIX. TENTATIO est exploratio quædam practica nostri profectus in studio exegetico.

§. XX. Estque duplex: *Una* in exercitio poenitentia, fidei, orationis, atque pietatis serio; *Alter*a in calamitatibus partim *interioribus*, cum sc. ab infirmitate

carnis nostræ ad dubitationes de veritate sensus Scripturæ sollicitamur; partim *exterioribus*, cum vel cribrationi Satanae subijcimus, vel a mundo affligimur, est posita.

§. XXI. Ratione effectus sui Tentatio & mentem Theologi exegetæ informat, ac voluntatem purificat.

§. XXII. Fructus ergo Tentationis in Hermenevticæ S. studio est *Experientia sensus Scripturæ practica* & *Gustus quasi Verbi divini interior*, quo pius Interpres non modo scit, quid literæ Scripturæ sonent, sed & practice eam intelligit, capit, Spiritum ac vitam esse in corde suo sentir.

CAP. IV.

De Mediis Hermenevticæ S. specialibus Externis.

§. I.

Media specialia externa, potius *Admunicula* dici merentur, quam *Media*, & iterum subdividi possunt in *Instrumentalia*, quæ simpliciter necessaria sunt Theologo Exegetæ; ac *Realia*, quæ ad bene esse

se vel ad maiorem expedientiam atque decus exegeteos faciunt.

§. II. *Instrumentalia* adminicula sunt, quæ Philologia suppeditat, nempe, vel *Grammatica*, vel *Logica*, vel *Rethorica*, vel *Poetica*, vel *Historica*.

§. III. *Realia* vero, quæ post Theologiam universam *Philosophia*, *Medicina*, & *Jurisprudentia*, in usu sobrio subministrant Exegetæ. Sit igitur.

CLAS. I.

De Adminiculis Grammaticis.

§. I.

ECclesiam tantum esse debete Grammaticam, magnus ille Chemnitius P. II. LL. f. 217. sapienter admodum monuit.

§. II. Amplissimus Grammaticæ S. usus his quatuor actibus coerceri potest: (a) *Magisterio*. (b) *Judicio*. (c) *Indicio* & (d) *Vindiciis*. Siquidem Grammatica est:

§. III. [A] *Magistra Lingvarum* Interpreti utilium & necessariarum, ut sunt *Vernacula Germanica*, *Græca*, *Hebraea*, *Chaldaea*, *Syriaca*. Taceo nunc

Arabicam, Æthiopicam, Persicam, Armenam, aliasque tum Orientales, tum Occidentales Lingvas, non quidem Interpreti Scripturæ præcise necessarias, nec tamen prorsus inutiles, si quis earum peritiam habuerit.

§. IV. *Instrumenta* hujus Philologiæ polyglottæ sunt cujusque Lingvæ Grammatica & Lexica, item Concordantiæ Biblicæ, & omne genus Autores sacri, profani, eruditis præsertim Lingvis scripti, qui juvant quoquo modo S. Scripturæ intelligentiam.

§. V. [B] S. *Literaturæ Critica* seu *Judex*. Hanc Crisin uti *necessitas* docuit, Satana intelligentiam Scripturæ per sua organa intricatam faciente ac difficilem; sic πολυπλεγμοσύνη quorundam reddidit exosam, *audacia*, illa peior, nimium suspectam & summe periculosam.

§. VI. *Officium* hujus Criseos constat: (α) Sequestratione veri Autoris hujus vel illius Libri Biblici, præ dubio & notho sive spurio. (β) *Literaturæ veræ* indicio. (γ) *Distinctionum* indagine ex accentibus in

He-

Hebræo, ex eolis & commatibus in Græco
Codice. (d) Judicio de coherrentia aut dis-
junctione membrorum. (e) Versionum
discretionem.

§. VII. In hac *Versionum* *Kejocet* atten-
denda est tum *Harmonia* cum sensu textus
primigenio, quoad fieri potest, accurata,
pure exacta; tum *Claritas* illius *Harmo-*
niae cum textu primigenio.

§. IIX. Utrobique *judicio* opus est, non
tamen effreni. *Judicii* vero *norma* sit fons
Hebræus in Vet. & Græcus in N. Test.
Neutrum observavit Richardus Simonius
Hist., Crit. Lib. II.

§. IX. (C) *Index* *significationis*
& *idiotismi*. In *significationis* indicio
primum est nosse *proprietaem* *vocum*.
Ista vero *proprietais* *exegeſis* haurienda
cum ex usu, tum ex *etymologia*. Deinde
Emphasi *Vocum* Hebræarum & Græca-
rum eruenda. Quod fit non uno modo,
ceu infra docebimus Cap. V. Sect. I.
Clas. I.

§. X. Quod *judicium* *Idiotismi* atti-
net, quælibet *Lingva*, & sic etiam *Sancta*,
sua

sua quædam habet locutionum genera, quæ cum in aliam linguam transferuntur, absurda videntur. *Idiotismus* autem *Lingvæ* est, qui illi omni, soli, ac semper convenit.

§. XI. Circa Idiotismum Hebraicum, utilem Ecclesiæ operam præstitit Glasius Lib. III. & IV. Philol. S. cum ex observatione phraseologiae Hebraicæ certos Canones formavit.

§. XII. Ipsa vero *Dictio Nov. Test. Hebræo-Biblica* conspicitur (1) in Vocibus origine Hebraicis, & vel Græcam terminationem accipientibus, vel suam retinentibus. (2) In Vocibus Græcis non Græcum, sed Hebræum significatum vel usum ex vocis parallelæ analogia habentibus. 3. in Vocabulis nove formatis, nec solum vim Hebræarum vocum, sed & ipsam faciem exhibentibus. (4) in Formulis ac phraseologiis ad formam Hebræorum expressis. (5) in Constructionibus Hebræum idioma redolentibus, (6) in Figuris Grammaticis.

§. XIII. In stylo N. T. habetur etiam *Idiotica loquendi ratio*, 2. Cor. XI, 6. *in-*
sinuata, quæ quidem se cum primis exeris (a)

La

In usu vetustissimorum vocabulorum a lingua Macedonum accersitorum. (β) In *γλωττοσύγχυσις*, quæ multa Lingvæ N. T. ex aliis lingvis adpersa sunt peregrinatum vocabula tum idiomatica, ut sunt Chaldaeo-Syriaca, Rabbinica, Persica quædam, & Latina non pauca.

§. XIV. Adhæc in N. T. reperitur *Sacra quædam dictionis forma, materia Evangelicæ accommodata*, & in vocibus & phrasibus significationem Sacram, profanis Autoribus prorsus incognitam, habentibus.

§. XV. De cætero non minus ipse N. T. textus originalis, magna ex parte *pure Græcus est*, ac sæpe tali dictione gaudet, cuius nec Scriptores Græcos nitidissimos pueret.

§. XVI. Interim non omnes *Kœnismos* in Hebræa Vet. ac Græca Nov. Test. Lingva sublato cupimus: quorum alii quidem *revera tales*, alii tamen saltem *apparenter tales* existunt.

§. XVII. (D) *Vindex Barbarismi & Solæcismi*. Non enim Patres istos
imi-

imitari volumus, qui Solœcismos non deprecantur & Barbarismos, maxime in textu Græco N. T. Quia nulla ad hos admit- tendos nos urget necessitas.

Class. II.

De Adminiculis Logicis.

§ I.

§ Incerior Usus Logicæ in Hermenevtica S. octo constat partibus, ut est (A) Terminorum Simplicium Apprehensio, sive nominalis sive definitiva, quæ quam necessaria sit, constat ex 1. Cor., XIV, 11. 1. Tim, II, 7.

§, II. Sunt autem Termini ratione (a) Formæ, vel positivi vel negativi; vel abstracti vel concreti; vel æquivoci vel univoci vel paronymici. (β) Materie, vel pure Theologici vel mixti. Illorum significationes ex sola Scriptura; Horum ex disciplina, ad quam pertinent, sunt explicandæ. Ubi probe discernenda est expositio termini materialis a formali.

§. III. (B) Subjecti ac Prædicati Investigatio. Sæpe Subjectum Propo-
siti.

sitionis Biblicæ se:ultra offert ac patet; sæpe etiam obscure latet, ac tunc indagine opus est; cui certæ inserviunt Regulæ, quas formavit Dannhauerus in *Idea Boni Interpretis* Sect. III. Art. III. f. 108.

§. V. (C) Syncategorematum
 Expositio, ut sunt *Omnis*, *Non-Omnis*, *Omnis-non*, *Multi* &c. In his enim non nihil variat lingua sancta a quavis alia. Regulas iterum exhibet Dannhauerus l. c. fol. 105.

§. VI. (D) Distinctio Orationum
 Logicarum a non-Logicis, utpote
 (α) Optativis Rom. IX, 3. (β) Execratoris Job. III, 1.-25. (γ) Ironicis Gen. III, 22. (δ) seipsas falsificantibus Ps. CXVI, 2.

§. VII. (E) Expositio Propositionum Logicarum, ut sunt. (α) Hypothesicæ Joh. XXI, 23. (β) Comparative, Matth. XIX, 20. (γ) Exclusivæ Gal. II, 16. (δ) Exceptivæ Rom. I, 25. (ε) Reduplicative, I. Joh. III, 9. Joh. V, 22. (ζ) Exhibitive Matth. III, 17. Marc. XIV, 22. 24.

§. IIX. (F) Locorum apparen-
 ter

ter contradictoriorum (τῶν ἐναντιο-
 φανῶν) Conciliatio, Artificium concis-
 liandi ostendit Michael Waltherus in
Harmonia Biblica per aliquot regulas.

§. IX (G) Conjectatio, qua ex
 sensu Scripturæ plano ac evidente sensu
 non scripta, sed in virtute illius contenta
 Interpres sagax venatur. Exemplum
 monstrat *Lutherus* ad Gen. XLVI, 3. &
 2. Reg. IX, 3. nec non *paraphrasis Biblio-*
rum Viniensium ad Heb. IX, 19.

§. X. (H) Deductio ad absurdum,
 ut qui nolit hunc vel illum sensum admit-
 tere post ostensivam demonstrationem,
 sed in suo illo perseverare, absurda enor-
 mia sit admissurus.

Class. III.

De Adminiculis Rhetoricis.

§. I.

Rhetorica Hermenevticæ S. utilis est:
 (A) in dignoscendo charactere dicendi,
 qui ut fistulæ in organo Musico, ita in ca-
 lamis divinorum Virorum variat.

§. II.

§. II. (B) In discernendo sensu propria a figurato, ne figuratam locutionem ad litteram, & propriam vicissim quasi figuratam accipiamus.

§. III. Duæ hic notandæ Regulæ (1) Tropicus Sensus tum obtinet, cum summa eundem exigit necessitas. (2) Τὸ ῥητὸν ἀρετῆς tenendum in sede propria articuli fidei: in dogmate præceptivo & legali, nec non sacramentali.

§. IV. (C) In Tropis indicandis atque ad suam classem redigendis eminent hic *Metaphora*, quæ (α) in suo cubili indaganda. (β) ex ea disciplina & historia, unde translata, evolvenda. (γ) moderanda, ne illam, ultra intentionem scribentis, ac similitudinis indolem, vel dictionis florem, extendamus.

§. V. (D) In Figurarum ἐξεργασίᾳ. Tales sunt. (α) *Hyperbole* Gen. XXII, 17. (β) *Suavisima ἑμοιοτέλευτα* Ps. CXLV, 17. (γ) *Amœnissimæ paronomasia* 2. Cor. IV, 8. (δ) *Antanaclasses* Joh. I, 10. (ε) *Gradationes* Joh. I, 1. - 5. (ς) *Mimeses* 2. Cor. VI, 16. (η) *Ὁξύμωρα* Prov. XIII. 24. (θ)

(θ) Μενόσεις Philem. V, 15. (ι) Hypotyposes, Cohel. XII. 3. 4. 5. (κ) Κομποροίαι I. Thes. IV, 16. 17. (λ) *Ænigmata* Jud. VII. 13. (μ) *Proverbia* Matth. XIII, 57. &c. de quibus omnibus prolixè Glassius in *Rhetorica Sacra*.

Class. IV.

De Adminiculis Poëticis.

§. I.

POËSEOS Lex omni tempore fuit vel *Proletariae* & vulgaris, vel quasi *Regia* & magnifica. *Illà τὸ ὁμοίον τῆς ῥυθμῆς, Hęc τὸ εὐροθμον* consecratur.

§. II. Utraque Poëseos ratio fontibus Hebræis quorundam librorum inesse creditur, ita tamen, ut prior *illa* casu magis nata videatur: *Hęc* consilio, sed nobis imperscrutabili.

§. III. *Rhythmus* hodiernis Judaicis analogos Theodorus Eberus producit *Poetic.* cap. II. f. 39. seqq. Illi tamen nondum probant. *Jobum, Psalmos, & Proverbia* esse libros metricos, sed argumentum conseruiunt a particulari.

§. IV.

§. IV, Alteri vero Poëseos rationi iudicio divino id contigisse videtur, quod *ar-
ti Notariæ*, ut amissa olim & decocta, nunc irremeabilis esse videatur. Fatigavit illa tum veterum tum recentiorum Scripto-
rum ingenia, maxime Francisci Gomari, *in Lyra Davidica*.

§. V. Nobis illorum placet sententia, qui existinant, textus quosdam sacros *ἐν
πλάτῃ* posse dici *carmina*, sed non *κατ'
ἀκρίβειαν metrica* i. e. ad leges Poëseos Europææ sive Orientalis hodiernæ adstri-
cta, sed scrupulosiori quantitatibus Poëticiæ necessitate soluta, ad *Musica* tamen He-
bræorum ita accommodata, ut quod libet Hemistichium, vel tertia quandoque pe-
riodi pars certo & vocum & syllabarum numero contineatur pro diversa ratione
melodiæ ad eam vocum Syllabarumque tractum proportionatæ, ita tamen, ut nulla
habeatur ratio sive *Rythmi*, sive *Metri*, sed tantum *numeri* ad melodiam proportio-
nati.

Clas.

Class. V.

De Adminiculis Historicis,

§. I.

Historia est vel *Sacra* vel *Ecclesiastica* vel *Profana*. *Sacra* ad ipsam interiorum Scripturæ *σύνκρισιν* pertinet. *Ecclesiastica* & *Profana* non uno modo Scripturæ interpretationi commoda esse potest.

§. II. Jamque per partes eundo dicimus, Hermenevticam S. lucem accipere: (A) ex **Historia Typographica**. Hujus utilitatem commendant *Bella Israelitarum*, *Sortitio Terræ sanctæ*, *Peregrinationes SS. Patriarcharum & Apostolorum varia*.

§. III. (B) Ex **Historia Chronologica**. Cujus *Necessitatem* ostendit Hieronymus ad *Esa. cap. XXXIIX. Usum Calovius Tomo I. Annotat. V. T. & commendant difficultates Chronologicæ innumera v. g. de tempore habitationis Israelitarum in Ægypto, Exod. XII, 40. Possessionis terræ Canaan ab egressu ex Ægypto usque ad Jephtham, Jud. XI, 26, &c.*

§. IV. (C) Ex **Historia Genealogica**,
non

non vana illa Iudæorum & Gnosticorum, quam dissuadet Apostolus Tit. III, 9. sed Biblica & maxime utili. Cujus tria constituuntur genera, nempe Genealogia (α) *Ecclesiastica* Patriarcharum antediluvianorum & postdiluvianorum Gen. V. & X. nec non Messiaë Ruth. IV. Matth. I. Luc. III. [β] *Politica* generis humani Gen. X. 1. Paral. I. (γ) *Israelitica* Exd. I. & VI. 1. Paral. II. ad IIX.

§. V. (D) *Ex Historia Logistica* in numeris occupata. Conf. Num. III, 39. cum v. 22. 28. 34. 2. Sam. X, 18. cum I. Paral. XIX, 18. Act. VII, 14. cum Gen. XLVI, 27. Ad hanc etiam referenda est *monetae, ponderum ac mensurarum* notitia, nostris temporibus & regionibus adæquand. De qua Brian. Waltonus in *Apparatu Bibliis Polyglottis Anglicanis* præmisso.

§. VI. [E] *Ex Historia Pragmatica*, quæ est (α) *Antiquitatum* Judaicarum. (β) *Rerum* in Ecclesia N. T. gestarum. (γ) *Personarum* in S. Literis commemoratarum. (δ) *Politie*, in qua vixere Scriptores

D

divi-

divini. (ε) *Præfulum* Romanorum. (ζ)
Rivum variorum.

Class. VI.

De Adminiculis Disciplinarum
realium & Facultatum supe-
riorum.

§. I.

NUllum Scitum, sive sacrum, sive pro-
fanum, est a Divina providentia ad nos
derivatum, quin usum præstare possit.
Scripturæ S. exponendæ. Paucis hoc per
singulas *Philosophiæ* partes, mox etiam de
Theologia Systematica, *Jurisprudentia*,
& *Medicina* ostendere non injucundum
erit.

§. II. *Metaphysicæ*, maxime sublimio-
ris illius, usus præprimis ex doctrina de Na-
tura & Attributis divinis conspicitur, cu-
jus accurata explicatio instar clavis totius
Scripturæ esse potest.

§. II. De *Philosophiæ naturalis*
commodis in Hermenevtica S. erudite dis-
serit Augustinus Lib. II. de *Doctr. Christ.*
c. XVI. Sic totum Cap. I. Genes. Item Jobi
Cap.

Cap. XXXVII. XXXVIII. XXXIX. XL.
& XLI. nemo feliciter explicabit absque
Physicæ cognitione.

§. IV. Mathesis plures sub se com-
plectitur disciplinas, *Arithmetica* scili-
cet, *Geometria*, *Astronomia*, *Optica*,
Architectonica, *Musica*, *Geographica*,
& *Chronologica*: quarum nulla est, quæ
non aliquam saltem explicationi Scripturæ
mutuet operam. Vide Gerh. Joh. Vossii
Libros tres *de Scientiis Mathematicis*,
nec non Samuelis Reyheri *Mathesin Mo-
saicam*.

§. V. Philosophiæ moralis, h. e.
Ethicæ, *Politicæ*, & *Oeconomica*, passim
& præcepta & exempla & cognoscendi in-
citamenta in S. Codice apparent. Vide
Theodori Reinkingii *Politiam Biblicam*,
& Lamb. Danaei *Ethicam Sacram*.

§. VI. Theologia Systematica
facit ad cognitionem analogiæ fidei, ad
quam semper Bonus Scripturæ Interpres
respicere debet. Quæ enim Scriptura ipsa
σπογγιδιως & ex occasione de dogma-
tibus tum fidei tum vitæ atque morum,

tradit, ea Theologia Systematica *methodice* atque ordine. Multum præterea confert Theologia *Thetico-Polemica & Moralis* ad quintuplicem illum Scripturæ S. usum eruendum 2. Tim. III, 16. Rom. XV, 4.

§. VII. Jurisprudentiæ usus maximus est in explicatione *legum forensium* Mosaicarum, & *terminorum* Juridicorum, [v. g. *testamenti, depositi, appellationis, justificationis &c.*] passim obviatorum.

§. IIX. Medicinæ denique utilitas in Studio Hermenevtico sese commendat ratione tum *similitudinum* Medicina de sumptarum, tum *cognitionis morborum*, quorum crebra in S. Codice fit mentio.

CAP. V.

De Hermenevticæ Sacræ Mediis internis proprieque sic dictis.

Media interna, quæ ipsum hoc studium Hermenevticum propius attingunt, versantur circa Collationem Sacrarum Literarum [1] in *Fontibus*, (2) In *Versione*

*sionibus. (3) In Commentariis. (4) In Con-
sectariis seu Applicatione.*

SECTIO I.
De Collatione Scripturæ S. in
Fontibus.

§. I.

HÆc primi generis *Collatio* vocatur
Σύγκρισις πνευματικῆ, 1. Cor. II, 13.
& pro verissimo sanæ interpretationis me-
dio est habenda. Id quod multis argu-
mentis confirmari potest.

§. II. In genere ista *Collatio lectio-
nis studio, iteratione, assuetudine* Sacrarum
Literarum jugi ac indefatigabili constat:
e qua nascitur non modo suavissima fami-
liaritas cum Viris Θεοπνεύστοις, sed & vi-
va *representatio* Scriptoris, in quo versa-
mur, ut ejusdem personam, indolem, ge-
stum, ἡ δὲ ἡ πάλαι, stylum seu chara-
cterem dicendi, aliasve circumstantias
oculis quasi legamus & intelligamus.

§. III. Collationis hujus *partes specia-
les* sunt (1) *Inspectio fontium, & vocum
originalium expositio.* (2) *Scrutinium Co-*

D 3

hæren-

hærentiæ textus. (3) Collatio antecedentium & consequentium. (4) *Σκοποσπονία* seu investigatio Scopit. (5) Circumstantiarum consideratio. (6) Analogia Scripturæ, sive Collatio locorum parallelorum. (7) Analogia fidei.

§. IX. Hæc media Interpretationis sunt Scripturæ Sacræ *intrinsecæ*, quæ Ipsa nobis suppeditat, licet usus foriusecus accedat. Intra horum mediolorum ordinem divinitus institutum unusquisque interpretum subsistens, infallibili scientia, accedente intrinseco Spiritus S. testimonio, scire potest, *hunc sensum*, quem istis mediis indagavit, & non alium a DEO in Scriptura loquente verissime fuisse intentum.

Class. I.

De Inspectione Fontium & Verborum Originalium expositione.

§. I.

Fontium Inspectionem commendat præter Versionum discrepantiam ac incertitudinem: Contextus analogiam: Genuinæ Læctionis indagacionem: in maxime Vo-

C. H. M.

cum Biblicarum vera & genuina explicatio.

§ II. In hac vocum expositione genuina attendendum est Interpreti ad earum (1) Δέξιμ. (2) Analogiam (3) ῥέσιμ.

§ III. Ad Δέξιμ tria spectant: (α) Vocis famosa & usitata *significatio* (β) Ejusdem βαρῦς seu *pondus, emphasis, & ἐνέργεια.* (γ) πλατῦς seu *latitudo*, hī e. latius se diffundens acceptio.

§ IV. *Famosa* five usitata *vocis significatio* probatur (α) ex LL. Scripturæ, ubi vox indubitato sub illo significato occurrit. (β) ex Harmonia aliarum Linguarum cognatarum. (γ) ex Versionibus antiquis & probatis. (δ) ex Testimoniis Doctorum Hebræorum, quoad V. T. Patrum & Scholiastarum, aliorumque Scriptorum Græcorum, quoad N. T. Scripturam.

§ V. *Emphasis Vocis* consistit vel in proprio quodam significandi modo; vel in quadam auxesii significationis receptæ; vel in allusione quadam tacite insinuata.

§ VI. *Famosa Vocis significatio* in aliis linguis κατὰ πόδα voce æquipollente ex-

primi potest; *Emphasis* vero rarius *κατα πρόδα*, sed potius operosa circumscriptione exprimitur.

§. VII. *Emphasis vocis Hebraica* quatuor potissimum modis erui potest (α) ex Radice sua. (β) ex Verbis cognatis (γ) ex Vocibus conjugatis. (δ) ex Collatione parallelorum.

§. VIII. In plerisque Radicibus abstrahi potest *formalis* aliquis seu generalis conceptus omnibus derivatis aut proprie, aut per commodam analogiam applicabilis: adeoque non desperandum, si analogia illa non prima statim fronte appareat.

§. IX. Cum vero *Radix* in *Lingua Hebraea* non semper suppetat vel superet, de eius *restitutione* sollicitè cogitandum est Docto Interpreti ex *Linguis Cognatis*, praesertim *Arabica*, in hunc usque diem florentissima.

§. X. Itaque deficiente Radice *Hebraea* ad *Arabismum* primum patet refugium; ita tamen ut *ceterae Linguae Orientales* ex *Hebraea* oriundae non negligantur. Poterunt huic fini inservire *Lexica*
Heb.

Hermonica, Schindleri Pentaglotton, Hottingeri & Edmundi Castelli Heptaglotton.

§. XI. Aliquid etiam hic conferent *Linguae aliae* ob rudera primævæ in omnibus cæteris fere residua, ubi tamen magna cautione opus est, cum voces earum Linguarum sono sæpe cum Hebræis conveniant, licet sensu sint diversissimæ.

§. XII. Alia vero res est de inspersis textui originali peregrinis vocibus & phrasibus, quæ utique e suis Lingvis sunt deducendæ.

§. XIII. *Emphasis Vocum Græcarum* æstimanda est (α) e Vocis origine. (β) ex Partibus componentibus. (γ) ex Usu Vocis apud Autores classicos. (δ) ex Ritibus & Historiis, ad quas voce præsentente allusum est.

§. XIV. Si vox spectetur *κατὰ πλάτος* sive *latitudinem* suam, digerenda illa est in certas classes significatum materialium modifierum, secundariorum, quos usus Biblicus suggerit. Ubi deficiunt Lexicographi tantum non omnes, cum ta-

men methodica huiusmodi *significatum* digestio magnum utique haberet usum in *עֲוָיָהֶם* et Sacra.

§. XV. Cæterum considerationi *אֶזְעָא* strictius dictæ velificantur *Lexicorum* Scriptores & *Concordantie*, ut per inductionem exemplorum de vocum *formali* significatione certi quid statuatur.

§. XVI. Hæc de *אֶזְעָא* Analogia Vocum Grammatica complectitur *Orthographiam* & *Etymologiam*. Ultraque Scripturæ S. Interpreti pro re nata suppetias ferre potest.

§. XVII. Et ex *Orthographia* quidem Interpres observare debet insolentem quarundam Literarum in textu Hebræo descriptionem, quæ alicubi fortuito contingere potuit, non tamen semper esse videtur de nihilo.

§. XXII. Ex *Etymologia* Interpreti est iudicandum de genuina originatione, genere, casu, persona, numero, tempore, & aliis accidentibus vocis, quorum diligens observatio sæpe mirum in modum facit ad decisionem *Locorum obscurorum*.

§. XIX.

§. XIX. Observandum quoque in Libris vel paulo ante, vel circa, vel post captivitatem Babylonicam conscriptis adhibitam aliquando *Analogiam Chaldaicam* in vocibus pure Hebraicis.

§. XX. In Novi Testam. Scriptura Spiritus peculiari consilio varias *Dialectos* adhibuisse videtur, Communem ceu fundamentalem, Atticam, jonicam, Doricam, Æolicam, maxime *Hebraizantem*.

§. XXI. Investigata λέξις & ἀναλογία Vocum singularum Grammatica, attendendum est denique Interpreti ad earundem ἔξις ἢ, quam habent vel ratione ordinariaς συντάξεως sive Constructionis, vel ratione peculiaris Ἐπιφρασσεως sive Elocutionis.

§. XXII. Quoad *Syntaxin* in Vet. Test. Scriptura cum primis ratio habenda est *Idiomatum & Constructionum* Lingvæ Hebraicæ peculiarium: quorum neglectio variis παραρρηματικαῖς occasionem præbere potest.

§. XXIII. Quoad Ἐπιφρασσεως sive *Elocutionem* diligenter observandæ sunt *formule loquendi*, quæ non ob necessitatem

constructionis, sed sermonis elegantiam & peculiarem rationem a genio aliarum Linguarum abluunt; quarum neglectus iterum sensum Scripturæ S. mire conturbare potest.

§. XXIV. Similiter *Syntaxis & Phrasis Græcæ N. T.* diligenter observanda; quæ cum a Stylo Græco vulgari, sive aliorum Scriptorum Græcorum non parum abscedat, non semper ex genio Scriptorum profanorum æstimari debet.

Class. II.

De Scrutinio Cohærentiæ Textus.

§. I

E Voluto vero sensu Vocum atque phrasæon seorsim & extra contextum acceptarum, sequitur *Σύγκρισις* stricte sic dicta, quæ consistit in applicatione significationis convenientis ad locum datum, si videlicet vocabulum sit *πολύσημον* sive ambiguum.

§. II. Ejus primaria species est *Ἀλληλουχία*, quæ consistit in Habitudine vocum & phrasæ

& phraseon ad ea quæ textum ingrediuntur, antecedunt & consequuntur.

§. III. *Habitudo* illa sive *ἑξέσις* vel est *immediata*, vel *indistans*. *Immediata* est *συνάφεια* nexus, vel ordo membrorum orationis interpretanda. *Indistans* est convenientia Versuum & Caputum antecedentium cum periodo data. De *illa* in præsentia, de *hac* in sequenti Capite agendum.

§. IV. *ἑξέσις* *immediata* & *proxima* peculiare subsidium in textu Vet. Test. Hebræo est *Accentuatio*. De cuius antiquitate & autoritate egimus supra Part. I. c. II. §. IV. V.

§. V. Accentuum singulis vocibus per totum Codicem Hebræum V. T. additorum officium primum non est *Grammaticum*, sed *Logicum* potius & *τακτικόν* ad indicium sensuales nexus periodici ordinatum.

§. VI. Unde cum necessario quælibet vox cum præcedente vel cohæreat in sensu vel non, hinc accentus vocem afficiens vel conjunctivus est vel disjunctivus.

D 7

§. VII.

§. VII. Accentuum ratio alia est in Libris, quos *Metricos* vocare solent, puta Psalmis, Proverbiis, Jobo; alia in cæteris Scripturæ S. Libris.

§. VIII. Textus N. T. *Græcus* agnoscit itidem hodie suas *distinctiones*, genio Lingvæ proportionatas, quæ tamen nunquam semper extiterint, vel ab Autoribus Sacris omnes sint profectæ, nunc non disquirimus.

§. IX. Interim ex defectu hujusmodi *inter distinctionum & notarum criticarum* non est inferendum, si minus vigilem fuisse Curam Dei circa Textum Græcum; si majori ideo ac fere ineluctabili laborare illum obscuritate, si maxime ex antiquioribus MStis Exemplaribus æstimeretur.

§. X. Abstractis etiam distinctionibus istis a Textu Græco Nov. Testam. adhuc *aliis modis* verus ejus nexus adstrui potest: estque *usitata* Interpunctio tam diu in possessione, donec solide prius convellatur.

Class. III.

De Collatione Antecedentium & Consequentium.

§. I.

EX eo is Vocum *indistans* est Consonantia eorum, quæ textum explicandum circumstant, sive antecedunt sive consequuntur.

§. II. Quando ergo dubium incidit de sensu Vocis, Phræses, vel Constructionis in textu, recurrendum est ad *commata* sive Versiculos, imo pro re nata ad *Capita Libri antecedentia & consequentia*, & dispendendum, quæ significatio Vocis vel Phræses controversæ ad circumstantias illas quadret ac intentioni Autoris Sacri conveniat.

§. III. Requirit hoc (α) naturalis interpretandi methodus, quæ docet: quemlibet esse optimum verborum suorum interpretem. (β) Regula illa Hermenevtica: *Scriptura S. explicanda est ex Scriptura S.*

§. IV. Collatio vero illa aliquando non modo difficilis admodum est ac laboriosa; sed

sed *judicium* quoque requirit *subactum* ad sensum Vocis vel phrasæ non modo eruendum, sed etiam aliis præfractis contradicentibus liquido demonstrandum.

§. V. *Utilissima* tamen simul est, imo multis in locis *necessaria*, præsertim ubi adjumenta de sunt cætera, ut fere nulla alia *certior* dari possit regula hac antecedentium & consequentium collatione, & quo hæc melius sensui alicui adaptabuntur; hoc certius erit, cum sensum esse vere literalem ac maxime proprium.

§. VI. *Exempla*, quæ hoc evincunt, suggeruntur tum a Bonfrerio *Prolegom in Script. S. Sect. III. f. 73.* ex Psal. XVII. 26. XXXIIX. 4. Job. XXI. 13. Sap. IIX. 21. tum a D. Pfeiffero *Herm. S. cap. X. §. V. f. 139. 165.* ex Gen. I. 6. VI. 2. 1. Sam. XXIIX. 14. coll. cum vers. 6. 19. I. Reg. XXII. 15. 2. Reg. II. 9. Iob. II. 9. XI. 20. Esa. XIV. 12. Jer. XVI. 16. Matth. X. 9. Joh. VI. 63.

Clas.

Class. IV.

De Scopi Investigatione.

§. I.

Σκοποσκοπία est indicii illius conside-
ratio, unde *causa dicendi* in Scriptore
Sacro exponendo dilucet. Siquidem in-
telligentia dictorum ex *causis dicendi* de-
promenda est.

§. II. Per Causas autem dicendi præci-
pue intelliguntur Causæ *impulsiva*, *ocasi-
onales*, & *finales*, quæ uno nomine a The-
ologis Exegetis *Scopus* appellantur.

§. III. Est autem Scopus vel *Generalis-
simus*, quem v.g. Epistola ad Romanos cura
tota Scriptura habet communem, 2. Tim.
III. 16. Rom. XV. 4. vel *Specialis* & quasi
huic Epistolæ domesticus, nempe Recon-
ciliatio Gentilium æque ac Judæorum
cum Deo per Christum Rom. XV. 16. vel
Specialissimus, utriusque scilicet Populi
ad unam humilitatem depressio Rom. III.
9. & arcani divini de novissimorum in re-
gno gratiæ & electione ad illud gratuita
Docatione patefactio.

§. IV. Ad Scopum *generalissimum* &
univer-

universalem semper est respiciendum, ne quicquam in Scripturarum interpretatione proferatur, quod usui Scripturæ quintuplici, & CHRISTO, ejusque vel personæ, vel officio, vel beneficiis adversum sit.

§. V. Scopus *Specialis* sive *Singularis* ac *Proprius* cognoscitur tum ex diligenti ac jugi Scriptoris Sacri lectione ac evolutione; tum ex observatione temporis, quo Auctor Divinus scripsit; tum ex Historia illius seculi, in quo hoc vel illud contigit; tum ex titulo vel aphorismo elegante in primo Libri Capite; tum ex reliquis interpretandi mediis.

Class. V.
De Circumstantiarum Consideratione.

§. I.

PRÆter Scopum *Circumstantiæ* variæ Interpreti Scripturæ sunt circumspiciendæ, nempe:

§. II. (A) Persona loquens. Ubi duæ notandæ sunt regulæ: (1) Scripturæ *narratio*, quamvis verissima sit, non tamen omnia,

omnia, quæ ibi dicuntur, vera esse creduntur. (2) In *Prophetis* personarum loquentium mutatio crebra in eodem sæpe contextu accidit.

§. III. (B) *Persona*, quam DEUS alloquitur. Alia v. g. Apostolis dicta sunt quæ *talibus*; alia, quæ *Ecclesie ministris*; alia, quæ *discipulis CHRISTI* seu *fidelibus*. Illa ad solos pertinent Apostolos; Ista Doctores & Pastores Ecclesie singulos; Hæc omnes obligant Christianos.

§. IV. (C) *Sedes*. Ut probe dispiciamus, num aliquo in loco thema, argumentum, articulus fidei & dogma tractetur ex professo, an incidenter? Si *ex professo*, Locus iste sedes ejus articuli atque dogmatis appellatur; Sin *incidenter*, ad priinarias sedes illud est exigendum, nec contra has urgendum.

§. V. (D) *Tempus*. *Distribue*, inquit Augustinus, *tempora*, & *concordabit Scriptura*. Et magni sane momenti in genuina Scripturarum intelligentia est ista hæc Circumstantia.

§. VI. (E) *Locus*. Ut ne phrases, pro-
verbia,

verbia, ritus in Oriente natos & receptos, ex incerta Occidentis praxi illustremus.

§. VII. (F) Modus. Qui scilicet observatus fuit in dicendo & agendo. In specie attendendus est modus, quo CHRISTUS concionatus fuit.

Class. VI.

De Analogia Scripturæ,

§. I.

ANalogia in genere est Harmonia eorum, quæ extra contextum sunt.

§. II. Estque vel *Scripturæ* vel *Fidei*. Illa analogia *proportionis*; Hæc *attributionis* dicitur. Utriusque necessitas in Hermenevtica Sacra haut difficulter probatur.

§. III. Datur quidem etiam analogia *casualis* tum in phrasibus, tum in rebus & conceptibus Scriptorum profanorum; sed ea hujus loci non est.

§. IV. *Analogia Scripturæ* seu *proportionis* in Collatione Locorum parallelorum disparatorum & a se independentium

con-

consistens in *Reciprocam* & *Alio-Directam* distingvi potest.

§. V. Analogia *reciproca* est, quæ Locus datus cum seipso alibi in Scriptura Vet. vel Nov. Testamenti repetito confertur.

§. VI. Analogia *alio-Directa* est, quæ locus datus cum aliis confertur, qui congruunt ei vel paralleli sunt tum quoad phrasin, tum quoad sententiam.

§. VII. Alii analogiam Scripturæ distingvunt in *Exemplarem* & *Consuetudinariam*, & illam subdividunt in *adequatam* & *similem*.

§. IIX. *Exemplarem* vocant concentum locorum, loco dato in sensu correspondentium. Hic *adequatus* dicitur, quando confertur materia alibi repetita v.g. typus cum antitypo, parabola cum explicatione parabolæ, prophetia cum complemento; *Similis* quando conferuntur loca quadante-nus analogæ, ratione vel sententiæ vel phraseos.

§. IX. Analogia *Consuetudinaria* vocatur in eos Scriptoribus Sacris vel omnibus aut saltem plerisque communis, vel quibusdam peculiaris.

§. Xj

§. X. *Usus* hujus *Collationis multiplex*, ut pote (α) *Vocis* aut *termini* alicujus, vel *significativus*, vel *ampliativus*, vel *restrictivus*. (β) *Locorum* inter se *pugnantium* *arbitrarius*. (γ) *Sensum* unius *loci* *diversorum* *distinctivus*. (δ) *Distinctionum* *vanarum* *arguitivus*. (ε) *Sacræ* *locutionis* *cum* *nostræ* *vulgari* *comparativus*.

§. XI. *Instrumentum* istius *analogiæ* *inveniendæ* *sunt Concordantiæ*, ac *Indices Biblici*, qui non modo *res* *Scripturæ* *S.* *sed* & *singulas* *voces* *sigillatim* *repetunt*.

§. X. *Quoad vim argumentandi* ex hoc *interpretationis* *genere* *notandæ* *sunt Regule* *istæ* :

§. XI. (A) *Collatio* ex *analogia* *proportionis* *meræ* *nudæque* *non est argumentativa*, *sed* *solum* *probabili* *ratione illustrativa*.

§. XII. (B) *Collatio* ex *hac* *analogia* *constans*, & *nullo* *exemplo* *contrario* *refragabilis*, *cæteris* *paribus* *fundit* *argumentum* *firmum*.

§. XIII. (C) *Si* *collatio* *ista*, *præter* *similitudinis* *relationem* *adhuc* *aliud* *exerceat* *offi-*

officium, *restrictivum* scilicet ac *dilatativum*, revera est argumentativa.

Class. VII.
De Analogia Fidei.

§. I.

A Nalogia *attributionis* in Collatione locorum inter se dependentium & subordinatorum consistens probatur (α) ex *Scriptura* Rom. XII. 6. 2. Tim. I. 13. (β) ex *sana Ratione* quæ loca specialia & obscura interpretanda esse suadet secundum *efata generalia & indubitata*.

§. II. Estque hæc Analogia nihil aliud, quam *summa quedam* cœlestis doctrinæ ex apertissimis *Scripturæ* locis instar *catenæ aureæ collecta & connexa*.

§. III. *Partes* habet duas, unam de *Fide*, alteram de *Charitate*. Illius capita præcipua *Symbolum Apostolicum*; Hujus summam *Decalogus* explicat.

§. IV. *Fundamentum* hujus Analogiæ est *Symphonicus articulorum Divinorum Concertus*, Adeoque de Analogia ista ultimo ac *indubitato* iudicandum est ex

Scri-

Scriptura Sacra, cum primis ex nativa & propria Sede quorumlibet dogmatum fidei & morum.

§. V. In hac Analogia respiciendum est Interpreti (α) ad *Terminum a quo* alter dependet in esse ac cognosci, Textum nempe aliquem *Scripturae* primum, clarissimum, propriissimum, 2. Tim. I. 13. (β) ad *Terminum ad quem*, h. e. alium locum a priori dependentem, quia vel obscurior illo, vel magis improprie & extra sedem suam trajectus. Hic semper exponendus est in respectu ad priorem.

§. VI. *Canones* huc spectantes sunt sequentes: (A) Nullum est fidei aut vitae dogma, quod non alicubi *propriis & perspicuis verbis* in *Scriptura S.* proponatur.

§. VII. (B) Si occurrat locus *obscurior* & explicationis indigus, sedulo cavendum, ne quicquam proxeratur cum hac analogia pugnavis.

§. VIII. (C) Regula fidei & vitae est acceptanda *integra*, neque eius partes sibi invicem sunt opponendae.

§. IX. (D) *Collatio ex analogia attributio*

butionis est revera *argumentativa*, quia concludit ex universaliori, clariori & notiori.

SECTIO II.

De Collatione S. Literarum in
Versionibus.

§. I.

Versionam & Paraphrasium præcipuarum Scripturæ Vet. & Nov. Testam. *Collatio*, quantum pondus in vero Scripturæ sensu eruendo obtineat, sani rerum *Æstimatores* haut ignorant.

§. II. Paraphrases & Versiones istiusmodi factæ sunt in Linguas vel *Orientalis* sive Asiaticas & Africanas, vel *Occidentales* sive Europæas. Versiones *Orientalis* vel sunt Scripturæ Vet. aut Nov. Test. *peculiares*, vel utrique *communes*. Conf. Part. I. C. V. de Versionibus, & P. III. c. IV. class. I. §. VI, de Crisi Versionum.

§. III. Collatio Versionum *Orientalium* insignem suum habet usum. Facit enim (α) ad eruendam significationem *vocum difficiliorum* & non nisi semel aut ra-

E

ro

ro admodum in S. Codice obviarum. (β) ad tuendam *lectionem textus* contra Patrones Vulgatæ, & quosvis Hebrææ aut Græcæ Veritatis hostes. (γ) ad convincendos καὶ ἀνθερωπον *Heterodoxos* e propriis versionibus.

§. IV. Huic Collationi Versionum Orientalium inserviunt *Biblia Polyglotta* (α) Antyerpiensia sive Regia, (β) Parisiensia, (γ) Anglicana sive Walthoniana.

§. V. Exemplar ac formam *Editionis compendiosæ Polygotte* privatis hominibus commodissimæ Richardus Simonius in Catalogo præcipuarum Editionum Historiæ Criticæ V. T. subjuncto exhibet.

§. VI. Versiones *Europææ* sunt usus vel *diffusioris* in Lingvis scilicet longe lateque patentibus, vel *angustioris* in lingvis sc. Vernaculis.

§. VII. Prioris generis Versiones plus ponderis & autoritatis habent, præsertim *Versio Græca Septuaginta viralis*, & *Vulgata Latina* ob antiquitatem suam: quæque his ob sui tritissimum inter nos usum, annumerari meretur, *Lutheri Germanica*,

§. VIII.

§. VIII. *Posteriores* sive *recentiores* Versiones oatenus suam laudem merentur, si constet earum Autores fuisse a subsidiis Hermenevticis non destitutos, & in reddendis Fontibus Hebræis ac Græcis fideles. Qualis est Seb. Schmidii *Latina*, & Belgarum *Germanica*.

SECTIO III.

De Collatione S. Literarum in Commentariis.

§. I.

IN Commentariorum Biblicorum usu attendenda sunt Interpreti præcipue quinque Capita (1) *Finis*, cujus gratia adhibentur. (2) *Designatio*. (3) *Auctoritas*. (4) *Selectus*. (5) *Cynosura* seu *Regulatio*.

§. II. Finem quod attinet Commentariorum, Biblicorum, nulla est absoluta, sed saltim *expedientie* necessitas.

§. III. Designatio Commentatorum Biblicorum ab iis est edita, qui Catalogos eorundem consignarunt, uti sunt Gisbertus Voetius in *Bibliotheca Studiosi Theologiae*,

Henricus Hottingerus in *Bibliothecario Quadripartito*, Abrahamus Calovius in *Methodo Studii Theologici*, &c.

§. IV. Possunt vero Exegetæ seu *Tra-ctatores* & *Expositores Sacrarum Literarum* (quorum scilicet opera Interpreti suppetat materiam meditandi & subsidium operandi) commode ad duas classes redigi, *Judeorum & Christianorum*.

§. V. *Judei* sunt vel *Carrei* sive *Scripturarii*, vel *Pharisæi* sive *Traditionarii*. Ab illis non pauca nobis ad eruendum *Scripturæ sensum* polliceri possumus: *Vocum* scilicet ac *phrasium obscuriorum explicatio- nem*: *Rituum* ac *Ceremoniarum veterum illustrationem*: *ἐναντιοπαρῶν* & aliorum *Dubiorum textualium evolutionem*; *vestigia orthodoxiæ prisce Judaismi*.

§. VI. *Pharisæi* *Carreis* serius quidem ad hæc accesserunt studia, sed vel *universales* in totum scripserunt *textum Bibli- cum Commentariis*, vel *singulares* in *sin- gulos Libros*. Utrorumque *Catalogum* satis prolixum exhibet in *Bibliotheca sua Orientali* Hottingerus.

§. VII.

§. VII. Interpretes *Christiani* respectu temporis alii *primæ*, alii *mediæ*, alii sunt *ultimæ* ætatis, post reformationem Lutheri: a quo tempore Exegetica studia maxime floruerunt.

§. IIX. Auctoritas illorum omnium humana, nec spheram humanæ fidei supergreditur? Unde Interpreti Commentatores non sunt audiendi ut *Judices*, sed ut *Consilarii & Testes*.

§. IX. In Delectu Commentatorum cum Antiquitas, tum plurium Symphonismus, tum etiam explorata interpretandi accuratio seu methodus; tum denique Christianismus, præprimis orthodoxus, interpretis prælatione sive prærogativa in studio Exegetico gaudet.

§. X. Et primo quidem *antiqua explicatio* Scripturæ mira quadam dulcedine animos legentium capit & ad assensum inclinat.

§. XI. Deinde plurium *Symphonismus*, maxime Synodica totius alicujus Concilii explicatio, cæteris paribus, præferenda est peculiari Glosæ idiognomicæ.

§. XII. Quoad *Methodum interpretandi* sunt inter ipsos Commentatores alii, qui *perfunctorie* saltim *Librum Sacrum* peragrunt; alii qui *magna accurratione* pertractant.

§. XIII. In genere nempe & absolute *quadruplex* interpretandi *genus* inter modernos & antiquos Interpretes natum est, *Grammaticum, Logicum, Oratorium, & Mixtum*.

§. XV. *Infime* ætatis Interpretes eximiam præ *mediæ* ætatis Commentatoribus, *ratione methodi*, merentur laudem, puta: (α) *Certitudinis*. (β) *Perfpicuitatis*. (γ) *Prezii & sinceritatis*. (δ) *Ingenuitatis*. (ε) *Decoris & honestatis*.

§. XVI. Ex Commentatoribus *Pontificis* modernis alii de *sensu* potius *Scripturæ illarum* defendendo, quam *pie efferendo* cogitant: Alii ad *praxin* potius accedunt, quam *exegefin* textus; Alii *fontes ipsas* argunt; Alii *aliorum tantum*, præsertim *Veterum* contrahunt *labores*; Alii denique *Ecclesiæ Romanæ dogmata* acriter defendunt.

§. XVII.

§. XVII. Apud *Judeos* duplex datur
Sensum Scripturæ eruendi ratio. *Quidam*
Scripturam ordine explicant, & vel voci-
bus vel rebus vel utrisque illustrandis lau-
dabilem operam impendunt; *Quidam* vero
loca Scripturæ per totum Talmud diffusa
& sparsa colligunt.

§. XVIII. *Christianus* Interpretes, sive
antiquior sive recentior, proculdubio in re-
bus ad fidei & morum doctrinam spectan-
tibus præ *Judeo* est audiendus.

§. XIX. Selecti ex utrisque adhibitis
in promptu habere debet brevem præcipue-
tum Interpretum Catalogum tum *Universa-*
lium in totam Scripturam, tum *Particula-*
rium in singulos Libros. Qualem nos
infra exhibituri sumus in Appendice.

§. XX. Interpretibus istis jungendi &
illi sunt, qui plena commentaria non con-
diderunt, sed servato ordine Biblico e li-
bris Scripturæ vel omnibus vel plerisque vel
aliquibus (α) *Loca* obscura & magis vexa-
ta, (β) *Extantiora dubia Philologica*, (γ)
Historica aliave sibi illustranda selege-
runt.

§. XXI. Huc pertinet etiam *distracta* Scripturæ *Traëtatio* eorum, qui vel Spiritus S. verba serie Alphabetica illustrarunt, uti Lexicographi pleniores & elegantiores, vel *σποραδικῶς* aut *ὡς ἐν παρόδῳ* quam plurimis Scripturæ S. Locis facem prætulērunt.

§. XXII. Cum autem Interpretes Scripturæ, potiores saltem, pervolvere, non *unius* res hominis sit, præstari tamen aliquid posset, si operæ inter *aliquos* studiorum *socios* distribuerentur.

§. XXIII. *Regule*, quas Commentatores experti ac periti præscripserunt lectoribus Bibliorum tam non sunt negligendæ, quam monita alicujus aurigæ, qui viam sæpe emensus, multa etiam suo periculo est expertus.

§. XXIV. Post uberes aliorum menses velut *Spicilegia* quædam tradidit B. Danhauerus *Herm. S. Sect. II. Art. II.* Regulas puta primum *generales* f. 394. deinde *speciales*, vel pro *Textu Prophetico* f. 410. vel pro *Typico* f. 747. vel pro *Parabolico* f. 453. vel pro *Legalif.* 460. rite intelligendo

gendo & explicando; addita & notata simul *Parker* *menia* *malitiose* *calumniatrice* f. 469. 517.

SECTIO. IV.

De Collatione Sacrarum Literarum
in Confectariis.

§. I.

Complectitur hæc Collatio *Applicationem* *Scripturæ* *S. recte* *explicatæ* *tum* *Porismaticam*, *tum* *Practicam* *sive* *Usualem*.

§. II. *Applicatio* *Textus* *S. Porismatica* est, quæ, explorato jam sensu literali, & perspecta veritate in *SS. Literis* expressa, occupatur in *Porismatibus* *sive* *Confectariis* & *Conclusionibus* e *textu* *explicato* *deducendis* *per* *legitimam* *consequen-*
tiam.

§ III. *Fundamentum* *hujus* *Applicationis* est *Analogia* & *Harmonia* *rerum* *Divinarum* *perpetua*. Unde necessario ex re una recte ac intimius perspecta, reliquæ tanquam concatenatæ pendent.

§. IV. *Qvi* *eam* *legitime* *debito* *que* *fructu* *vult* *institere*, *ejus* *animus* *viva* *co-*

E 5

gni-

gnitione ὑποτυπώσεως sanorum verborum
in fidei & caritatis doctrina, imbutum esse
oportet.

§. V. *Fontes*, unde Porismata ista deri-
vantur, sunt vel ipsis textibus Biblicis *in-
si-
ti*, vel ex aliis Scripturæ Locis *petiti*, & cum
textu præsentē collati.

§. VI. *Fontes interni* sive *in-
siti* sunt, quando Porismata derivantur vel ex *ipsis*
vocabulis, eorumque emphaseos explica-
tione, vel ex *structura* & *ordine* rerum in
Textu Sacro contentarum, vel ex *affectu*
Scriptoris Divini.

§. VII. *Fontes externi* sunt, quando
textus collatio instituitur aut cum *Scopo*,
aut cum *Antecedentibus* & *Consequentibus*,
aut cum *locis parallelis*, aut ex *circumstan-
tiarum* consideratione.

§. IIX. Ex diversa applicatione horum
fontium diversa Porismatum genera e-
mergunt. Sunt enim (1) vel *Theoretica*
vel *Practica*. (2) vel *Didascalica*, vel *E-
lenchtica*, vel *Pædevtica*, vel *Epanorthotica*,
vel *Paracletica*. (3) vel ad *Fidem*, vel ad *Ca-
ritatem*, vel ad *spem* sustentandam condu-
centia.

§. IX.

§. IX. Distinguenda etiam probe sunt Porismata *Homogenea*, quæ ex integro textu fluunt, & *Heterogenea*, quæ ex particula aliqua textus derivantur.

§. X. Applicatio mere Practica sive Usualis textus sacri est, in qua de Scriptura ad fidem & vitam nostram in individuo applicanda imprimis solliciti sumus.

§. XI. Applicatio hæc, uti summe necessaria, & maxime utilis est; ita vel *Proximum*, vel *Nosmetipsos* respicit.

§. XII. Licet vero a quolibet etiam Laico in *Versione* Bibliorum *vernacula* recte institui possit; ex *Textu Originali* tamen certum est ad ædificationem interdum quædam applicari posse, quæ in *Versione* haut facile fuissent obvia.

§. XIII. *Simplicissima* veritatis cœlestis applicatio, si cum integritate cordis fiat, ac sinceritate affectus, ut plurimum est optima & fructuosissima.

§. XIV. *Monita*, quibus juvari potest, sunt fere sequentia: (A) Ante omnia recte distinguenda est *inchoatio* applicationis Practicæ ab ejus *continuatione*.

§. XV. (B) Inchoatio facillimo negotio instituitur, si verba Textus, in quo versamur, *precibus* includamus *extemporaneis*.

§. XVI. (C) In qualibet dictorum sacrorum applicatione (α) *Habitus animi nostri* recte perpendendus, & cum dicto accurate conferendus. (β) In *Vitiorum causas* sedulo inquirendum. (γ) *Remedia* corrigendi vitia, in nobis deprehensa, sunt circumspiciendai.

§. XVII. (D) Non in externis saltim præceptis hærendum, sed singulorum *intrinsecum fundamentum* sollicitè quærendum, ac in id omnis lectio practica resolvenda.

§. XVIII. (E) Ipse CHRISTUS in omni applicatione ob oculos ponendus, tum ut *Donum*, tum ut *Exemplum*.

§. XIX. (F) Librum aliquem Scripturæ *faciliorem, ac fundamenta fidei vitæque Christianæ* præ cæteris *inculcantem*, frequentissimæ lectioni ac meditationi & praxi nostræ substernamus.

§. XX. (G) Non omnia simul applicemus, sed *successive*; nec tam ut *dicendi*
pro-

pro suggestu, quam *faciendi* materiam habeamus.

§. XXI. *Continuatio* Applicationis omnem Vitam nostram occupare debet. Adjuvatur autem partim nostra *Industria*, partim divina *Gratia*.

§. XXII. Applicatio denique Scripturæ ad *Proximum*, sive *privata* illa sit, sive *publica*, minus habet negotii & *παρρησίας*, ubi quis in Applicatione ad seipsum fatis collocavit studii ac devotionis.



AP.

APPENDIX

Ad

Cap. V. Sect. III. §. XIX.

fol. 89.

CATALOGUM

exhibens

Præcipuorum Interpretum
Biblicorum, tum Universalium,
tum Particularium.

§. I.

Inter Patres & Doctores primitivæ Ec-
clesiæ, qui ad pleniora sese accinxerunt
Scripturarum Commentaria, primus
occurrit ORIGENES, qui licet nimia lu-
xuriaverit ἀνυγοποιῶν, ad literalis ta-
men sensus scrutinium multum contu-
lisse laboriosissimam ejus *Tetraplorum*,
Hexaplorum & *Octaplorum* texturam
(quæ utinam haut omnis intercidisset,
exiguis quibusdam *fragmentis* ex istis ver-
sionibus relictis:) nemo Eruditorum ne-
gave-

gaverit. Post Origenem excelluere
CHRYSOSTOMUS *dicendi elegantia &*
Phrascos δεινότητι; **AUGUSTINUS** *acu-*
mine; **HIERONYMUS** *exacta*, quæ duo
 præcedentes destituebantur, *Orientalium*
Lingvarum peritia, Origenis tamen &
 Origenianæ methodi nimius admirator.
 Magno deinde secuti fuerunt numero alii,
 in speciali recensione ad singulos Libros
 laudandi.

§. II. Post *excessum Patrum* seculo
 VII. & deinceps satis etiam multi ad hoc
 scribendi genus se applicuerunt, tum Græ-
 ci, Euthymius Zigabenus, Zacha-
 rias Chrysopolitanus; tum Latini,
 Rabanus Maurus, Anselmus Lon-
 dinensis, Hugo Cardinalis, Nico-
 laus Lyranus, Dionysius Carthu-
 sianus: qui posteriores in omnem Scri-
 pturam Vet. & Nov. Test. sunt commen-
 tati. Ut taceam nunc eos, qui in singulos
 Scripturæ libros commentarios scripse-
 runt, ac infra nominabuntur.

§. III. A *Reformationis tempore* in to-
 tam

tam Scripturam S. Paraphrasin adornavit **Lucas Osiander**: Glosam textualem succinctam habent **Theologi Vinarieenses** in Bibliis Germanicis Norimbergæ editis. Harmoniam Biblicam V. & N. T. concinnavit **Michaël Waltherus**. Annotationes scripserunt **Franciscus Junius** & **Emanuel Tremellius**, nec non **Johannes Piscator** Herborenensis, item **Jo. Qvistorpius**, cujus tamen scopus non fuit difficultates omnes attingere, sed saltem sparsim observare. Animadversiones ad V. & N. T. edidit **Ludovicus de Dieu**. Post **Criticos** Anglicanos nuper in Germania recusos, Synopsin **Criticorum** aliorumque Scripturæ Interpretum exhibuit **Matthias Polus** in voluminibus V. majoribus Londini primum, post Francofurti ad Mœnum editis.

§. IV. Integros Commentarios, eosque doctissimos in Veteris & Novi instrumenti Libros, si non omnes, certe plerosque conscripserunt **Theodorus Bibliander**, communis Theologiæ Exegeticæ Patrens,

rens, & Conradus Pellicanus, Hos
 deinde ex Reformatis longo ordine secuti
 sunt Johannes Calvinus, Rudol-
 phus Gualtherus, Wolphius Jo-
 hannes & Henricus, Ludovicus
 Lavaterus, David Pareus, & qui ac-
 curatissimus & judiciosissimus semper est
 habitus, Petrus Martyr. Quibus ex re-
 centioribus merito jungimus Joh. Coc-
 cejum. Ex Romano-Catholicis uni-
 versa Biblia Commentariis laboriosis ma-
 gis, quam Exegetico-Scholasticis illustra-
 vit Cornelius a Lapide, cujus Epito-
 mator est Jacobus Tirinus. Ante ip-
 sum Thomas Cajetanus totam V. &
 N. Testamenti molem, exceptis Cantico,
 Prophetis, & Apocalypsi exposuit. Ex
 nostratibus, Abraham Calovius in
 Bibliis illustratis & ab Hug. Grotii Parer-
 meniis vindicatis; nec nō Johannes Ole-
 arius, Patruus meus, Tomis. V. der Bibli-
 schen Erklärung/consulendi. Quomodo
 in plerosque Scripturæ libros & Locos e-
 scriptis B. Lutheri colligi possit interpre-
 tatio,

tatio, docuit in suo Pastoralis *Conradus a Porta*, f. 122. & , ni fallor, egregie hoc præstitum est ab *Abrah. Calovio* in Commentario Biblico Germanico , præcunte ipsi Editore Tomorum Lutheri Altenburgensium *D. Joh. Christfried Sagittario* , cap. III. Des Haupt-Register.

§. V. Commentatores in universa Biblia Hebræa, vel majorem eorum partem, ex Judæis sunt **R. David Kimchi**, sensus literalis non infelix interpres: **R. Salomon Jarchi**, qui obscurior paulo Talmudicis fabulis non nihil indulget. **R. Aben Esra** prolixus & fere Philosophus. **R. Levi Ben Gerson** Philosophus insignis. Horum quatuor Commentarios conjunxit *Joh. Buxtorffius* & margini textus S. apposuit in Bibliis Basileensibus majoribus: **R. Isaac Abarbenel**, cujus commentaria ob perspicuitatem ac methodum tractandi valde commendantur. **R. Schemomo Ben Malec**, cujus est מכלל ירפי Commentarius Grammaticus in universa Biblia. **R. Saadiah**, quia reliqua Rab-
bino.

binorum turba non raro recedit. Ex Hebraeorum commentariis desumptæ extant notæ Francisci Vatabli, Emanuelis Sa, Stephani Menochii, Joh. Marianæ.

§. VI. Iam in *speciali* Commentatorum *particularium* ad singulos Libros *Recensione* non nullos (namquis omnes in numero habeat?) semper sub (α) ex *Patribus & mediæ ætatis Doctoribus*; sub (β) ex *Theologis Augustanæ Confessioni addictis*; sub (γ) ex *Reformatis*; & denique sub (δ) ex *Romano Catholicis*, nominabimus.

§. VII. Ita quod **HISTORICOS** Vet. Testam. Libros attinet, in **PENTATEUCHUM** Commentarios ediderunt (α) Procopius, Beda *venerabilis*, Rupertus *Tuitiensis Abbas*, Alphonsus *Tostatus Abulensis Episcopus* (β) Ioh. Brentius, David Chytræus, Paulus Fagius, Christoph. Pelargus, Cyriacus Spangenbergius, Augustus Varenius. (γ) Franciscus Iunius, Benedictus Aretinus, Martinus Cellarius, (*Hebræo vocabulo* Borrhaus) Henricus Ainsworthus. (δ) Iacobus Bonfrerius.
Hic-

Hieronymus ab Oleastro, Augustinus Steuchus Eugubinus, Fabr. Paulucius, Cornelius Iansenius *Yprensus Episcopus*.
Speciatim in

GENESIN (α) Cyrillus Alexandrinus, Eucherius. (β) Martinus Lutherus, David Rungius, Ioh. Gerhardus, Abrah. Calovius. (γ) Wolffg. Musculus, Ioh. Mercerus, Andreas Rivetus & Willetus. (δ) Benedictus Pererius, Marinus Mersennus.

EXODUM, (α) Theodoretus. (β) Rungius. (γ) Willetus, Rivetus. (δ) Io. Lorinus.

LEVITICUM, (α) Hesychius Presbyter Hierosolymitanus *Libr. VII ad Eutychianum Diaconum*, Radulfus Flaviacensis *Lib. XX.* (β) Wolfgangus Franzius *in Schola sacrific.* (γ) Andr. Willetus. (δ) Lorinus.

NUMEROS, (α) Theodoretus. (β) Erasmus Sarcerius, Ioh. Marbachius. (γ) Franc. Junius (δ) Lorinus.

DEUTERONOMION, (α) Theodoretus,

tus,

tus, (β) Lutherus, Gerhardus. (γ) -- (δ)
Lorinus.

IOSUAM, IUDICES, & RUTH, (α) Theodoretus, Tostatus, (β) David Chytræus, Fridr. Balduinus, S. Schmidius, (in Iosuaam quoad priora II X. capita) (γ) Mart. Borrhaus, Ioh. Drusius, (δ) Nicol. Serarius, Iac. Bonfrerius.

† † †

IOSUAM *seorsim*, Andreas Mafius & Ioh. Ferus.

IUDICES Ioh. Brentius, Mart. Bucerus.

RUTH, Casp. Sanctius, Gabriel a Costa.

LL. SAMUELIS, (α) Beda, Hugo Victorinus, (β) Brentius, Seb. Schmidius, (γ) Drusius, Willetus, (δ) Serarius, Sanctius.

LL. REGUM (α) Theodoretus, Richardus Victorinus, Tostatus. (β) Brentius, Hieron. Wellerus, Seb. Schmidius. (γ) Drusius, Borrhaus. (δ) Serarius, Sanctius.

LL. PARALIPOMENON (α) Theodoretus

retus

retus, Tostatus, (β) Sarcerius (γ) -----
 (δ) Franc. Fevardentius.

ESDRAM & NEHEMIAM, (α) Beda,
 (β) Brentius, (γ) ----- (δ) Sanctius.

ESTHERAM, (α) ----- (β) Brentius (γ)
 Drufius, Petrus Merlinus, (δ) Sanctius,
 Serarius, Paulucius, Fevardentius.

§. IIX. Porro quoad Hagiographos
 commentati sunt in

JOBUM, (α) Gregorius M. *in Moralibus*,
 Beda, Olympiodorus *in Catena*. (β)
 Brentius, Hieron. Wellerus, S. Schmi-
 dius. (γ) Mercerus, Borrhaus, Philip-
 pus Codurcus, (δ) Franc. Titelman-
 nus, Fevardentius, Joh. de Pineda,
 Sanctius, Jo. Ferus, Steuchus.

PSALMOS, (α) Hilarius, Ambrosius,
 Theodoretus, Apollinarius, Ruffinus,
 Cassiodorus, Remigius, Beda, Victori-
 nus, Rupertus, &c. (β) Brentius, Salom.
 Gesnerus, Reinhardus Backius, Mart.
 Geierus, (γ) Wolfg. Musculus, Henr.
 Ainsworth, Jo. Foord, A. Rivetus, Rob.
 Rollocus, Abr. Scultetus, (δ) A. Steu-
 chus, Corn. Jansenius *Iprensis Episco-*

pus

pus, Jo. Lorinus, Gilbertus Genebrardus, Rob. Bellarminus, Simeon de Muis, Andreas Duvallius.

PROVERBIA, (α) Beda, Honorius *Augustodunensis*, Guilielmus *Parisiensis*, (β) Lutherus, Melancton, Geierus, (γ) Thomas Cartwrigthus, Mercerus, (δ) Lorinus, Jansenius, Ferd. Quirinus de Salazar.

ECCLESIASTEN, (α) Gregorius Thaumaturgus, Gregorius Nyssenus, Olympiodorus, Hugo Victorinus, Guilielmus *Parisiensis*. (β) M. Geierus, Jo. Varenius. (γ) Mercerus, Cartwrightus. (δ) Ferus, Titelmanus, Jansenius, Lorinus, Pineda, Serarius.

CANTICUM, (α) Gregorius Nyssenus, Gregorius M. Beda, Honorius, Bernhardus, Ægidius Romanus, Rupertus. (β) Lutherus, Jo. Gerhardus *in Postilla Salomon*. Jacob Dürrfeldius. (γ) Mercerus, Ainsworth, Brighthmannus, Henr. Adstedius. (δ) Titelmanus, Sanctius, Salazar, Martinus del Rio, Paulus Aretius.

§. IX. Ab Hagiographis pergimus ad Prophetas Majores, quos conjunctim explicarunt (præter eos, qui ad integrum Codicem Biblicum Vet. Testam. sunt commentati) Stephanus Szegedinus & Caspar Sanctius: *Esaiam & Jeremiam* Ioh. Brentius: *Esaiam & Danielelem* Henr. Bullingerus: *Jeremiam, Ezechielem, & Danielelem* Theodoretus & Io. Maldonatus: *Ezechielem & Danielelem*, Franc. Junius, Amandus Polanus, Hieron. Pintus. Scorsim commentarios concinnarunt ad

ESAIAM, (α) Basiliius, Cyrillus, Procopius, Thomas de Aquino. (β) Buce-tus, Varenius, Io. Arcularius, S. Schmi-dius. (γ) Ioh. Oocolampadius, Aug. Marlotatus, Wolfgangus Musculus, Scultetus, (δ) Adamus Sasbouthus, Hector Pintus, Leo a Castro, Franc. Forerius, Aug. de Qviros, Mich, de Pa-lacios.

JEREMIAM (α) Haymo *Episcopus Hal-berstadiensis*, Ioachimus *Abbas*. (β) Io. Hulsemannus, S. Schmi-dius. (γ) Mi-chael

- chael Ghislerius, (δ) Christoph. Castrius, Sanctius, Petrus a Figueiro.
- THRENOS**, (α) Paschasius Radbertus, Hugo Victorinus, [β] Tarnovius, [γ] Daniel Tossanus, Hugo Broughtonus, (δ) Ferus, Pintus, del Rio, a Costa &c.
- EZECHIELEM**, (α) Gregorius M. Richardus Victorinus, (β) Matth. Hafrenfferus *in ultima LX. capita. Casp. Heunischius in Clave Ezechielica ad Ezechielis Templum & Civitatem.* (γ) Oecolampadius, (δ) Hieronymus a Prado, *cujus labores in illustrando Ezechiele* Jo. Baptista Villalpandus *continnavit*, Pintus, Serarius.
- DANIELEM**, (α) Joachimus Abbas, (β) Melancton, Gesnerus, Cornel. Graferus, Geierus, Io. Svaningius. (γ) Alstedius, Broughtonus, Willetus, Rob. Rollocus. (δ) Pererius,
- §. X. In Prophetas denique minores conjunctim commentarios ediderunt (α) Cyrillus, Theodoretus Procopius, Rupertus Tuitiensis, Remigius Antisiodorensis. (β) Franc. Lambertus, Jo. Tarnovius,
- F vius,

vius, Jo. Schmidius, (γ) Drusius, Stephanus Fabricius, Mercerus (*in sex priores,*) Edoardus Livelejus (*in quinque priores*) (δ) Arias Montanus, Franc. Ribera, P. a Figueiro, Sanctius. Scorsim in

HOSEAM (α) ---- (β) Lutherus, Brennius, Gesnerus, Seb. Schmidius, Wolfgangus Fabricius, Capito. [γ] Polarus, Rivetus. [δ] Hieronymus Guadalopius.

IOELEM, [α] ---- [β] Lutherus, Gesnerus, [γ] Iacobus Grynæus, (δ) ----

AMOSUM [α] ---- [β] Lutherus, Brennius, *cujus & Annotationes extant & commentarii prolixiores.* [γ] Sebast. Benefield. [δ] ----

OBADIAM, [α] ---- [β] Salom. Gesnerus. [γ] Quirinus Reuterus, [δ] ----

JONAM, [α] ---- [β] Lutherus, Theodorus Schnepfius, [γ] Grynæus, Iunius. [δ] Fevardentius, Gabriel a Costa.

MICHAM, α) --- β) Lutherus, Brennius, Chytræus, Albertus Graverus. γ)

Oeco-

Oecolampadius, Caspar Grayerus,
 δ) Theobaldus Gerlachius Billica-
 rius.

NAHUM, α) --- β) Chytræus, Ha-
 fenrefferus, γ) Ludovicus Crocius, δ)
 Augustinus de Qviros, Pintus.

HABACUC, α) --- β) Woifg Fabr.
 Capito, Chytræus, Io. Winckelman-
 nus, γ) Grynæus, δ) Hieron. Gvevar-
 ra, Iansenius *in Analectis*.

ZEPHANIAM, α) ---- β) Luthe-
 rtus, Urbanus Rhegius, Winckelman-
 nus, γ) ---- δ) ----

SOPHONIAM, α) --- β) Rhegius,
 Bucerus, Winckelmannus, γ) ----
 δ) de Qviros, Iansenius.

HAGGÆUM, ZACHARIAM & MA-
 LACHIAM, [α] --- [β] Fridericus
 Balduinus, Io Schilterus, Io. Himme-
 lius, Io. Varenus, [γ] Balthasar Wil-
 lius, [δ] ---

HAGGÆUM, [α] ---- [β] Melancton,
 Winckelmannus, Rhegius. (γ) Iodoc.
 Willichius, Grynæus, (δ) Io. Eg-
 cius.

F 2

ZA-

ZACHARIAM, (α) - - - - (β) Lutherus, Melancton, Chytræus, Io. Georg. Dorscheus (*in Theol Zachar.* (γ) Grynæus, Henricus Bullingerus, Guilielmus Pembleus, (δ) Io. de Reiroles.

MALACHIAM, (α) - - - - (β) Melancton, Chytræus, (γ) Grynæus, Bullingerus, Wilhelmus Stuckius, (δ) Gabr. a Costa, de Qviros.

§. XI. Pervenio nunc ad **Libros Novi Testam.** Quos universos commentariis illustrarunt vel *Philologicis* atque *Theoreticis* Desiderius Erasmus, Theodorus Beza, Ioachimus Camerarius, Erasmus Schmidius, Io. Druſus, Abrahamus Scultetus, Daniel Heinsius; Vel *magis Theologicis* atque *Practicis* Henricus Bullingerus & Rudolphus Gualterus, eorumque Epitomator Augustinus Marloratus, Jo Gagnæus; Vel *Mixtis*, Benedictus Aretius, Paulus Tossanus, Thomas Cartwrightus; quibus commode addi possunt erudita & succincta *Victorini Strigelii*

geli ὑπομνήματα. Nec prorsus tacendi
Io. Crellii Franci & Ionæ Schlichtingii de
Bokowics Socinianorum commentarii in
 plerosque N. T. Libros, an. 1656. Conjun-
 ctim editi.

§. XII. Libros **Historicos** quatuor
Evangelistarum conjunctim tracta-
 runt

[α] *Ex Veteribus* Theophylus Antioche-
 nus, Beda, Theophylactus Bulgarorum
 Archi-Episcopus ;

[β] *Ex Nostris* Martinus Chemnitius, Po-
 lycarpus Lyferus, & Io. Gerhardus in
 Harmonia, Johannes Brentius, Marti-
 nus Bucerus & Georgius Calixtus in
 Harmonia.

(γ) *Ex Reformatis* Ioh. Mayer, Balduinus
 Walæus, Gerhardus Iohannes Vossius
 in Harmonia, Johannes Lightfootus
 in Horis Hebraicis ac Talmudicis.

(δ) *Ex Romano-Catholicis* Sebastianus Bar-
 radius, Cornelius Iansenius Ganda-
 vensis ad Concordiam Evangelicam,
 Cornel. Iansenius Iprensis Episcopus in
 Tetrateucho, Io. Maldonatus, Adam

Conzenius, Alphonsus Salmeron, Arias Montanus, Aloysius Novarinus.
In specie commentati sunt ad

MATTHÆUM, (α) Gregorius Nyssenus, Rupertus Tuitiensis, Alphonsus To-
stus, Guilielmus Parisiensis, Richar-
dus de Media Villa. (β) Melancton,
Christophorus Pelargus, Ægidius Hun-
nius, Io. Gerhardus, Caspar Bertramus,
(γ) Io. Oecolampadius, Wolfg. Mus-
culus, Lamb. Danaeus, Simon Episco-
pius *in XXIV. priora capita.* (δ) Franc.
Lucas Brugensis, Alphonsus de Aven-
dano, Claudius Guilliardus, Paulus de
Palacios.

MARCUM, (α) - - - (β) Winckelman-
nus. (γ) Oswaldus Myconius, Pesca-
tor, Danaeus. (δ) Io. Suarezius, Isidorus
Clarus, Io. Serrius, Didacus Stella, Hiero-
nymus Guadalopenfis, Franc. Tole-
tus, Io. de la Fuente.

LUCAM, (α) Ambrosius, Bonaventura
Albanensis Episcopus, (β) Io. Agricola
Islebius, Winckelmannus. [γ] Rob.
Stephanus, Fr. Lambertus, Myconius
Pisca.

Piscator, [δ] Didacus Stella, Vitalianus
Zuccolo

JOHANNEM, (α) Cyrillus Alexandrinus,
Rupertus Tuitiensis, Hugo Victori-
nus, Thomas de Aquino, Bonaventura,
Richardus de Media Villa. [β] Luthe-
rus, Melancton, Pelargus, Hemmin-
gius, Alexander Alesius, Georgius
Mylius, Æ. Hunnius, Paul. Tarnovius.
[γ] Oecolampadius, Musculus, Pisca-
tor, Rollocus, [δ] Ferus, Toletus, Ser-
rius, Ribera, Pererius, Michael de Pa-
lacios.

ACTA APOSTOL. [α] Oecumenius, [β]
Pelargus, Heinmingius, Jo. Arcularius,
Jo. Gerhardus *in Annotat. posthumis*
Tobias Major. [γ] Toffanus, [δ] Joh.
Gagnæus, Lorinus, Salneron, Ferus,
Lib. Fromondus, Nicol. Gorranus,
Thom. Stapletonus, Bened. Justinianus.

¶ XIII. In Epistolas Paulinas omnes
scripserunt [α] ex *Veteribus* Theodoretus,
& qui Ambrosii nomine se vulgo jactat in
Commentario, Primasius, Beda, Haymo,
Oecumenius, Theophylactus, Hugo Vi-

Clorinus, Thomas Aquinas, Gregorius de
 Arimino. [β] Ex *Nostris* Nicolaus Hem-
 mingius, Ægid. Hunnius, Frid. Baldui-
 nus. (γ) Ex *Reformatis* Andreas Hyperius,
 Wolfgangus Musculus, David Dickso-
 nus, Jo. Mayer, Bened. Aretius, Contra-
 dus Vorstius, Ioh. Crocius quoad Episto-
 las minores. (δ) Ex *Romanensibus* Ambro-
 sius Catharinus, Guilielmus Estius, Bened.
 Iustinianus. Scorsim in Epistolam ad

ROMANOS, (α) Ægidius Romanus, (β)

Brentius, Bucerus, Melancton, Ger-
 hardus, H. Wellerus, Gorgius Mylius,
 Iustus Feuerbornius, Seb. Schmidius
in Annotation usque ad cap VI. cum Pa-
raphrasi sqq. usque ad Cap. XII. (γ) Go-
 marus, Rollocus, Willetus, Oecolam-
 padius, Caspar Olevianus, Theodorus
 Zuingerus, Anton. Fayus, Lightfootus
usque ad Cap. XI. (δ) Sasbouthus,
 Titelmannus, Sadoletus, Toletus, Con-
 zenius, Pererius, Stapletonus.

CORINTHIOS. I. & II. (α) - - - (β)

Melancton (*In I. Ep.*) Georg Weinri-
 chius, David Rungius. (γ) Seb. Meyer,
 Tho-

Thomas Mortonus & Io. Ligtfootus
in I. Epist. (d) - - - .

GALATAS, (a) - - - - (β) Lutherus,
Brentius, Io. Winckelmannus, Io. Wi-
gandus, Bartholom. Battus, Hieron.
Kromayerus, Sebatt. Schmidius, Phi-
lippus Iacobus Spenerus, (γ) Perkinfus;
Rollocus, Grynæus, (δ) Sasboutus,
Conzenius, Vasquez.

EPHESIOS, (a) - - - (β) Rucerus, H.
Wellerus, Weinrichius, Battus, (γ)
Olevianus, Hieron. Zanchius, Rollocus
Musculus, Scultetus. (δ) Sasboutus, A,
de Qviros.

PHILIPPENSES, (a) - - - (β) Brenti-
us, Wellerus, Weinrichius. (γ) Olevi-
anus, Zanchius, Musculus, Fr. Goma-
rus (δ) Sasboutus, Vasquezius.

COLOSSENSES, (a) - - - (β) Io.
Meelführerus, Seb. Schmidius, Fried.
Rappoltus in *Observationibus*. [γ] Go-
marus, Io. Davenantius, Rollocus,
(δ) Sasboutus, de Qviros.

THESSALONICENSES I. & II. (a) - - -
(β) Wellerus, Weinrichius, (γ) Hul-
deri

dericus Zvinglius, Musculus, Zanchius, Gomarus, Petrus Stevartius, Quirinus Reuterus, Rollocus. (δ) ---

TIMOTHEUM I. & II. (α) --- (ε) Alexander Alesius, Casp. Cruciger, Io. Gerhardus, Chytræus (*in prior.*) (γ) Caspar Megander, Lamb. Danæus (*in prior.*) (δ) Claudius Epenæus, Io. a Lovanio, Sasboutus, Ludovicus Soto, Cosmus Magallianus.

TITUM. [α] --- [ε] Alesius, Cruciger, Christoph. Hofmannus, Fried. Rappoltus (*in Observationibus.*) (γ) Megander, Scultetus, Zachar. Ursinus, Thomas Taylor, (δ) Ludov. Soto.

PHILEMONEM (α) --- (ε) Bucerus, Brentius Christianus Friedericus Franckensteinius, (γ) Rollocus, Gomarus, Scultetus, Daniel Dycke, (δ) Fevardentius.

HEBRÆOS, (α) --- (ε) Io. Gerhardus, Polycarpus Lyserus, Georg. Calixtus, Seb. Schmidius. (γ) Megander, Grynæus, Rollocus, Gomarus, Scultetus, Petrus van Höcke, (δ) Sasboutus,

boutus, Ribera, Ludovicus Tena, Michael de Palacios.

§. XIV. Ad septem Epistolas Catholicas reliquorum Apostolorum commentati sunt [α] ex *Patribus & ætatis mediæ Doctoribus*, Clemens Alexandrinus (*de quo tamen dubitat ipse Bellarminus*) Didymus Alexandrinus, Beda, Thomas de Aquino. (β) ex *Lutheranis*, Nicolaus Hemmingius, (γ) *Ex Reformatis*, Ioh. Heinr. Alstedius, Matthias Turnemannus, Christoph. Imlerus, (δ) ex *Romanensibus*, Gagnæus, Serarius, Gorranus, Estius. In specie ad Epistolam

JACOBI, (α) Gregorius de Arimino, (β) Caspar Brochmandus, (γ) Iacobus Laurentius, Jo. Mayerus, (δ) Fevardentius, Lorinus, de Qviros.

PETRI UTRAMQUE, (α) - - - (β) Lutherus, Winckelmannus, Wellerus, Gerhardus, (γ) Amesius, Gomarus, Iac. Laurentius; [δ] Fevardentius, Lorinus, & Sasboutus (*in poster.*)

IOHANNIS PRIMAM, (α) - - - (β) Egidius Hunnius, Seb. Schmidius,

Friedericus Rappoltus. (γ) Zanchius,
Turnemannus, Simon Episcopus, [δ]
Io. de Lovanio.

SECUNDAM & TERTIAM, (α) - - - (β)

Ioh. Bened. Carpzovius F. (γ) Edoar-
dus Pocockius, [δ] Iacob. Gaulterius.

PRIMAM, SECUNDAM & TERTIAM

conjunctim (α) - - - (β) - - - (γ)

Lamb. Danaeus, (δ) Io. Lorinus.

IUDÆ, (α) - - - (β) Gerhardus, Rap-

poltus *in Observat. Philologicis*, (γ) Da-

næus, Hypericus, Perkinsus, Iunius,

Imlerus, Casp. Sibelius, (δ) Lorinus,

Sasboutus, Fevardentius, de Quiros.

§. XV. In APOCALYPSIN denique

IOHANNÆAM ceu Librum Propheti-

cum N. T. (α) ex *Veteribus* Victorinus

Martyr, Andreas Cæsariensis, Primasius,

Beda, Haymo, Richardus Victorinus,

Oecumenius, Anselmus, Rupertus Tuiti-

ensis, Alexander de Hales. (β) Ex *Nostra-*

tibus, David Chytræus, Cornelius Gra-

ferus. Io. Cluverus, Matthias Hœe, Hie-

ronymus Kromayerus, Mathæus Hoff-

mannus Macheropæus (*in Chronotaxi*

Apo.

Apocalyptica) Caspar Heunifchius in *Clavi Apocalypt.* (γ) Ex *Reformatis* Alstedius, Thomas Brigtmannus Laurentius, Perkinfus, Toffanus, Pareus, Henricus a Diest (e) ex *Romano-Catholicis*, Io. Gagnæus, Pererius, Ribera, Blasius Viegas, Ludovicus de Alcazar, Gorranus, prolixè sunt commentati.



CORONIS

de

PRAXI HERMENEVTICA,

In dictis duobus Scripturæ

V. & N. Test. ostensa.

Dictum I. ex Es. c. LIII. v. 9.

וַיִּתֵּן אֶת־רְשָׁעִים קִבְרוֹ וְאֶת־עֲשִׂיר
בְּמַתְיוֹ עַל לֵא חָמֵס עֲשָׂה וְלֵא מְרָמָה
בְּפִיו :

§. I. Locus hic, maxime quoad *prins*
membrum, vexatissimus non unam patitur

F 7

inter-

interpretationem. Targum Jonathani Textum integrum plane pervertens de deletione impiorum atque injustorum, per mortem atrocem in Gehenna, ita

ⲉⲧⲉⲛⲁ Ⲣⲉⲣⲁ ⲗⲉⲧ.

וְיִמְסַר יְהוָה רְשָׁעִים לְגֵהֶנֶם וְיֵת עֲתוּרֵי
 בְּכִסְיָא דְאַנְסוּ נְמוֹתָא דְאַנְדָּךְ כְּנָא נְדִיחַ
 דְּלָא יִתְקִימוּן עֲבָרֵי חֲטָאָה וְלָא יִמְלִלּוּן
 בְּכִלְיִן נְפֻמָּהוּן : i. e.

Et tradet impios in Gehennam ac divites substantiis, qui vim attulerunt, in morte exitiosa, ut non permaneant facientes peccatum, neque loquantur dolum in ore suo. Quomodo in hoc versu de Christo nihil habetur.

§. II. Septuaginta vero primam partem sic transtulerunt: καὶ δώσω τὰς πονηρὰς ἀντὶ τῆς ταφῆς αὐτῆ καὶ τὰς πλυσίαις ἀντὶ τῆ θανάτου αὐτῆ. *Et dabo impios pro sepultura ejus, & divites pro morte ejus.* Hos aliquo modo Secutus Vulgatus ita vertit: *Et dabit impios pro sepultura, & divitem pro morte sua.*

F 7

Quasi

Quasi hic Textus de supplicio interfecto-
rum Christi ageret, & Deus Pater (juxta
LXX.) vel Christus (juxta Vulgat.) tan-
quam justus Judex impios Judæos in ma-
nus hostium traditurus: & divites seu po-
tentes, (Pilatum scilicet ac Principes Sa-
cerdotum) pro morte, vel quia ipsum in-
juste occiderunt. Sed repugnat huic in-
terpretationi (α) *Textus Hebraeus*, in
quo nulla designatur commutatio, quæ
in Sermone vel Latino exprimenda sit
vocula *אֵיטִי*, seu *Pro.* (β) *Res ipsa*. Quo-
modo enim Iudæi ob sepulturam Christi
(cujus curam laudabilem habuit Iose-
phus Arimatensis) ad supplicia traditi di-
cerentur.

§. III. Franciscus Junius & E-
manuel Tremellius hæc verba ad po-
pulum proximo versu memoratum refe-
runt, hoc sensu: *Et exposuit* (populus Iu-
daicus) *improbis* (h. e. gentibus, quæ olim
improbiorum nomine solebant designari.
Act. II, 23.) *sepulchrum* (h. e. crucifigen-
dum, trucidandum & sepeliendum Chri-
stum,

stum, Synecdochice) *& diviti* (h. e. Pontio Pilato, Præsidi Iudææ) *in mortem suam*, (i. e. ea lege, ut sanguis Christi super populum ipsum recideret, Matth. XXVII, 25.) Quæ expositio non modo nimis contorta est, sed & hoc insuper laborat incommodo, quod particula *IN* vix uspiam, ut nota Dativi, in Scripturis usurpetur.

§. IV. Lutheri versio & explicatio ita se habet: Und er ist begraben wie die Gottlosen/und gestorben/wie ein Reichher / instar divitis, quasi dicat Propheta: Christum sepultum ac mortuum esse sicut seditiosos & injustos; Quod equidem de morte concedi potest, de sepultura non item, quam in sepulchro non vili, sed splendido, quod viris honorationibus competit, habuit. Ut taceam, Textum Hebræum sic plane: aliam induere faciem.

§. V. Forsterus & post eum Mercerus atque Schindlerus Textui nostro hanc lucem affundere satagunt *Dedit cum impiis sepulchrum suum* (h. e. in:

in loco illo, ubi impii morti traduntur, sepeliri voluit) & cum divite (i. e. Iosepho Arimatheo) monumentum suum: quasi dicat Propheta per correctionem: Interim non tam vili sepulchro illatus fuit, uti latrones cum ipso crucifixi, sed splendido & magnifico, quod erat Iosephi, hominis opulenti ac divitis, ita nempe disponente DEO, quamvis hostes ejus secus destinassent.

§. VI. Sed huic expositioni præprijis obstat, quod in fontibus non legatur *מִן־הַמַּגְדָּלָה* i. e. *excelsa ejus*, ut Es. XXII, 16. LXV, 4. collato cum vers. 7. a *מִן־הַמַּגְדָּלָה* quod idem est ac *ἑψημα* & *ἑψυμός*, *edificium* aut *locus editus quivis extans supra terram, tumulus*, atque adeo *sepulchrum*: sed *מִן־הַמַּגְדָּלָה*, *in montibus ejus*. Excipiunt quidem, Iudæos locum hunc corrupisse, & ex *מִן־הַמַּגְדָּלָה* fecisse *מִן־הַמַּגְדָּלָה* extruso *Vau* & *Kamez* mutato in *Schwa*. At frustra. Quando enim Iudæi id fecissent, aut quare, ut nobis hunc locum eriperent, qui tot loca de Messia passione intacta reliquerunt, non minus luculenta? Aut quo-

quomodo universa exemplaria Codicis Bibliici Hebraei simul corruptissent? Ad hæc ita lectum fuisse ante Christi etiam tempora, non modo ex Masoretis, Jonathanis Paraphrasi Chaldaica, sed & versione LXX. visali, paulo antè adductis, constat.

§. VII. Missis nunc reliquis Interpretum explicationibus diversis, quas omnes examinare instituti nostri non admittit ratio, locum integrum *κατὰ πρόθεσιν* sic reddimus: *Et dedit impios (in) sepulchrum suum, & divites in mortes suas; propterea quod non vim fecit, & non (fuit) dolus in ore ejus.* Veram autem priusquam expositionem adferamus, præter scopum generalem cap. LIII. notanda est hujus commatis noni cum antecedentibus & consequentibus *Connexio*, quam ἢ conversivum in verbo *ἔδωκε* & *dedit*, insinuat.

§. VIII. Voluit nempe in priori hujus Capitis parte Esaias removeere scandalum Iudæorum ab exinanitione Messiae desumptum, uti patet ex vers. 1. - 4. Ubi est querela de scandalo isto ab Esaiâ &

Docto-

PRAXIS HERMENEVTICA

Doctoribus Novi Testamenti intuluta.
Paralogismus scandalizatorum hic erat:
Contemptus fuit ille, qui pro Messia se ven-
didavit: Ergo non estimavimus eum.
Vidimus ipsum, & non habebat formam
Ergo eundem merito repudiavimus. Pes-
simam hujus paralogisimi consequentiam
ostendit Propheta per veræ exinanitionis
causæ demonstrationem, in qua exponi-
tur: α) *Nostram miseria* consistens in pec-
catorum culpa & pœna, vers. 4. 5. nec non
cumulatis eorum erroribus, vers. 6. β)
Miseria nostra in Christum per imputa-
tionem *translatio*, ib. vers. 6. γ) *Christi*
pro miseria nostra satisfactio, v. 10. præ-
stita in *plagarum toleratione*, in *dolorum &*
laborum nostrorum portatione, vers. 3. 4.
in *attritione*, *vulneratione & castigatione*,
v. 8. in *oppressionem*, *afflictione & mactatione*,
v. 7. 8. 10. in *morte* denique ac *sepultura*,
vers. 9. Qui nostræ considerationis ver-
siculum est, ac proinde secundum scopum
specialissimum spectatus de fructu sepul-
turæ ac mortis Christi totus est intelli-
gendus. Sicuti hoc argumentum ex sco-
po

po Scriptoris Divini fluens *phraseologia* magis luculenter ostendet.

§. IX. Resolvimus autem Textum nostrum in duo membra: *Prius* mortis ac sepulturæ Christi imputationem; *Posterius* imputationis rationem ob oculos ponit. In priori membro quatuor occurrunt circumstantiæ: *Quis? Cui? Quo? Quomodo?*

§. X. Prima circumstantia, *Quis?* seu *Principium* quod latet in verbo *וַיִּתֵּן*, & dedit, seu posuit, nimirum vel DEUS, si pronomem suffixum in voce *קָבַר* & *תָּבַח* exponere velis Relative in sepulchrum ejus, in mortem illius; vel Christus ipse, si Reciproce istud pronomem exponas, in sepulchrum suum, in mortem suam. Græcus Interpres manifeste refert ad DEUM; quando in prima persona dicit: *καὶ δώσω ἔδωκα*; & mox Pronomen Relativum ingeminata vice subjungit: *Ἄντι τῆς ταφῆς αὐτοῦ, ἀντι τῆς θανάτου αὐτοῦ*. Nos CHRISTUM hic directe indicari censemus, non tamen exclusis reliquis Divinitatis personis.

§. XI.

§. XI. Altera circumstantia, sive subjectum Cui? continetur vocibus **נתת** **עשירים** **עשירים**. Particula **נתת** ut Accusativum cum verbo **נתת** designare solet, ita notionem istam ei hic relinquimus: *Dedit impios & divitem.* Sic nihil erit, quod coactum dici poterit, aut insolitum, uti fit in versione Junii & Tremellii, ubi vocula **נתת** pro **ה** signo *Dativi*, præter consuetudinem posita esse videtur; quod exposuit *improbis & diviti.* vid. supra §. III. Rectius Vulgatus: *Dabit impios & divitem.* Sicut etiam Græcus Interpres **το** **נתת** per Accusativum ex Idiotismo Hebræo expressit, **δώσω τὰς πονηρὰς καὶ τὰς πλουσίους.**

§. XII. **עשירים** proprie dicuntur ii qui in continuo sunt nequitiæ motu instar maris, modo ab hoc modo ab illo cupidinum vento acti in varia scelera, semperque protrudentes vitiorum cœnum, ac proin nulla gaudent conscientia tranquillitate. Conf. Es. XLVIII, 22. c. LVII, 20, 21. Prov. IV, 16, & Job. III, 17. Radix enim est **עשיר**

turbi-

turbidus, inquietus fuit; tales sunt omnes homines in natura sua corrupta spectati. Omnes enim sunt peccatores & רשעים seu *Impii*, Ps. XIV, 3. Ps. LIII, 4. Rom. III, 10. 18. 23, Conf. Es. LIII, 6.

§. XIII. רשע, *Dives*, in vitio h. l. ponitur, pro eo, qui fraude, dolo, vi, divitias suas corradit, quod colligere licet ex sequentibus verbis, ubi de Christo, in oppositine ad Divites, dicitur: quod vim (כַּחַס) non fecerit, nec Dolus (כְּרִמָּה) in ore ejus fuerit. Bene Lutherus in explicatione hujus loci, Tom. III. Lat. Ien, f. 427. *Obscurus*, inquit, est *Hebraismus*, quod divitem ponit pro improbo (seu injusto) Fortasse autem inde natus est Tro-
pus, quia plerumque divites sunt injusti, sicut in Evangelio Christus vocat μαρμαρῶνα (i. e. divitias) τῆς ἀδικίας, iniquitatis. Item difficile est, divitem ingredi in regnum cælorum. Hucusque Lutherus. Divitem autem in singulari dicit Prophe-
ta, ut doceat, Christum non modo pro omnibus, sed etiam pro singulis injustis mortuum & sepultum esse.

§. XIV.

§. XIV. Sunt qui concretum pro Abstracto, *impios* pro *impietatibus*, & *divitem* pro *divitiis* poni volunt, hoc modo: *Dedit*, seu *posuit improbitates in sepulchrum*, h. e. peccata hominum, quæ portaverat in cruce, intulit secum quasi in sepulchrum, ut ibi manerent, & credentibus non imputarentur. Vid. Hebr. IX. v. 4. *Et Divitias in morte sua*, quasi dicat: in morte Christi reponuntur omnes divitiæ spirituales, de quibus Eph. I. v. 7. 8. II, 7. III, 8. Addunt, notanter Prophetam posuisse *Divitem* in singulari pro *divitiis*, ut Christum ipsum esse illas credentium divitias, juxta Paulum, Col. I, 27. subinnueret. Quo modo verba illa *רַשְׁעִים וְעֲשִׂיר* non *subjectum* cui, sed *materiam imputationis* tum *negative*, tum *affirmative* descriptæ exprimerent. *Ill*a est nostra iniquitas tum *originalis*, tum *actualis*, 1. Ioh. I, 7. quam DEUS non imputat nobis propter Christum, qui eam in se suscepit, Es. LIII, 6. *Hec* meritum Christi, quod nobis imputatur ad justitiam per fidem, Rom. IV, 5. 6. Sed uti *materiam imputationis* phrasi:

Posu-

Posuit in sepulchrum & mortes Christi im-
pios, insinuari haud diffiteor, sic illam vo-
 ce utraqve **וְעָשָׂה וְעָשָׂה** in sensu con-
 cretivo **κατὰ τὸ ἄνθρον** a nobis exposita sal-
 tim connotari dico, non directe significari.

§. XV. Tertia Circumstantia seu Prin-
 cipium Quo inest vocibus **קָבְרוֹ & בְּמַתּוֹ**,
 in priori subaudito **בְּ**, *in sepulchro suo.*
 conf. Jerem. XXXVII, 4. 15. quemadmo-
 dum expressum est in posteriori. Nam **בְּ** in
בְּמַתּוֹ non pro radicali litera cum Iunio
 & Tremellio supra §. IV. sed pro servili
 accipio: *in mortibus suis.* Praeponitur au-
 tem *sepulchrum* morti, quia sepulchrum
 perfectæ mortis est Symbolum. *Mors*
 postponitur, quia tempus triduanum simul
 involvit, in quo Redemptor vere mor-
 tuus in sepulchro jacuit. *Pluralis* au-
 tem acerbitatem mortis inter multos
 maximosque dolores significat. Hoc lo-
 co sepulchrum & mors Christi sepulturæ
 ejus & mortis meritum, virtutem & effe-
 ctum simul connotat per Metonym. causæ
 organicæ, pro re per eam producta: sicut
manus pro *scriptione* vel *scriptura*, quæ
 manu

manu fit, accipitur, 1. Cor. XVI, 21. Col. IV, 18. *argentum* pro re argento comparata, Exod. XXI, 21.

§. XVI. Quarta circumstantia *Modum* respiciens innuitur verbo *נתן*, & *dedit*. Vulgatus non attendens *Vau* conversivum in Futuro transtulit: *Et dabit*. Sed Idiotismus Hebræus requirit significationem Præteriti, quo Prophetæ ob certitudinem rei futuræ uti solent. In voce *נתן* in ista constructione: *Dedit in sepulchrum suum & mortes suas*, hæc emphasis posita est; quod non sit *dare* simpliciter, sed *dare per æquivalentiam ex imputatione oriundam*. Quandoquidem Christo omnium impiorum & iniustorum *iniquitates imputate sunt*, Es. 53. 6. Ideo dum ipse sepultus est, idem est, ac si omnes impii sepulti essent: Dum morti se dedit seu exposuit, idem est, ac si omnes iniusti sese morti dedissent. In mortem vero & sepulturam Christi optime, imo unice, quadrat verbum *נתן dedit*. Nam in N. T. docemur, quod ipse se dederit pro nobis, 1. Tim. II, 6. Eph. V, 2. quod *dederit animam suam pro ovibus*, Joh.

G

Joh.

Joh. X, 11. Lucem huic expositioni loca adferunt parallela, Rom. VI, 4. Coloss. II, 12. *Consepulti sumus ei per baptismum in mortem*, 1. Cor. V. v. 2. *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.* Bene Brentius ad hunc locum nostrum: *Ingressus est Christus ad mortem & sepulchrum, non autem solus, sed assumpsit secum impios & divites, seu injustos.*

§. XVII. Sequitur nunc in altero Textus membro RATIO imputationem mortis ac sepulturæ Christi satis manifeste indicans: propterea quod ipse non fecit vim & non fuit dolus in ore ejus. LXX. sic reddunt: *ὅτι ἀνομίαν ἔκ ἐποίησεν, ἔδὲ δόλον ἐν τῷ σώματι αὐτοῦ.* Longe plenius Petrus, 1. Ep. II, 22. *Ἄμαρτίαν ἔκ ἐποίησεν, ἔδὲ ἐυρέθη δόλος ἐν τῷ σώματι αὐτοῦ.* Hac autem loqvendi formula Propheta omnimodam Christi ἀναμαρτησίαν exprimere voluit, quod nec factis nec verbis unquam in minimo impegerit.

§. XIX. Nomen *ἄμαρτία* proprie est *injuria, violentia, iniquitas, peccatum, vel aberratio a lege.* Hic omnis generis peccata ipso opere commissa designat,

gnat, ut ex addito verbo עֲשֵׂה cumpri-
mis patet. Is enim phrasi Scripturæ pec-
catum facere dicitur, in quo peccatum in-
habitans per actualia peccata proæretica
regnat, 1. Joh. III, 4.

§. XIX. Voce מְרֵמָה, cui respondet in
Græco Textu δόλος *peccata exterius com-
missa* indicantur. Quamvis autem dolus
in corde proprie existat; in ore tamen esse
dicitur, quia sermone dolum aliis strui-
mus & omnes cordis nostri malitias occul-
tamus. In Phrasi Esaiæ: וְלֹא מְרֵמָה בִּפְיוֹ
subaudiendum est verbum יְהִי, fuit.
Hoc Petrus Idiotismo Hebræo sic ex-
pressit: ὁ δὲ ἐυρέθη δόλος ἐν τῷ σώματι αὐτοῦ.
Hebræis enim τὸ inveniri ponitur pro
esse. Vid. Gen. II, 20. Es. XXXIX, 2.

§. XX. Vocula לְ hic non adversati-
ve sumi debet pro *quamvis*, sed causaliter,
pro *quia*, vel *quod*, *eo quod*, sive *propterea*
quod, ac si dicat: Christus per imputatio-
nem dedit impios in sepulturam & impro-
bos in mortem suam: quod inde apparet,
quia ipse non habuit propria peccata, ergo
necessario ipsi imputata fuerunt aliena,

cum alias non debuisset mori ac sepeliri.

§. XXI. Ita de vero & genuino verborum Esaiæ sensu constat. Restat, ut ex hoc fonte probe cognito Doctrinarum rivulos deducamus, prout quælibet in *Porismatibus* tum *Theoreticis*, tum *Practicis*, sponte sua profluit. Sit igitur:

I. Christus vere pro nobis mortuus ac sepultus: quia secum impios posuit in sepulchrum & injustos in mortem suam, quod fieri non potuisset, si non vera ac propria, sed ficta ac Metaphorica morte (ut olim delirarunt Cerdon & Marcion) mortuus fuisset. Unde Paulus, 1. Cor. XV, 3. 4. *Tradidi vobis imprimis quod & accepi, Christum videlicet mortuum esse pro peccatis nostris, & sepultum fuisse secundum Scripturas.*

II. Professio fidei in Christum pro nobis mortuum & sepultum, necessaria est, tum ad confirmandum officium ejus mediatorium, quod consistit in peccatorum nostrorum expiatione per mortem Christi, eorumque
sub.

submersione ac obfignatione in sepultura
ejus facta. Conf. Mich. VII, 19. Dan. IX,
24. tum ad efficiendam in nobis
mortis ac sepulturæ ejus similitu-
dinem, quæ consistit in sanctificatione,
quod hic insinuat Propheta, plenius au-
tem deducit Apostolus Rom. VI. v. 3.

*Quotquot baptizati sumus in Christum
Jesum, in mortem ejus baptizati sumus v. 4.
Consepulti sumus cum illo per Baptismum
in mortem, v. 5. cum eo plantati coaluimus
assimilatione mortis ejus. v. 6. Vetus ille
noster homo cum eo crucifixus, ut aboleretur
corpus peccati, ne nos amplius seruiamus
peccato. Conf. ibid. v. 7. 8. 9. 11.*

III. Christus etiam Θεός Ἰσως
fuit in triduo mortis. In morte e-
nim ac sepultura sua vel maxime sacerdo-
tis munere functus est, dum impios meri-
torie posuit secum in sepulchrum, ac inju-
stos in mortes suas, quia actus sacerdotales
sunt utriusque naturæ; consequenter et-
iam Filius hominis manens in corde terræ
tres dies ac tres noctes, Matth. XII. v. 40.
fuit Sacerdos, constans ex utraque natura.

Christus enim *manet Sacerdos usq[ue] ad
 dinverēs, in perpetuum*, Ebr. VII, 3. Utut
 ergo vinculum naturale inter animam &
 corpus Christi mors disruptit, personale ta-
 men inter divinitatem & humanitatem
 nunquam disruptum fuit. Anima enim
 & corpus ejus, etiam toto triduo mortis, in
 hypostasi λόγος permanserunt. Corpus
 enim mortuum, ipsius DEI corpus & vi-
 ctima pro peccatis hominum fuit, & in hy-
 postasi τῆς λόγος seu Filii DEI mansit.
 Contra Ioach. Lütkemannum *Christum
 in triduo mortis verum hominem fuisse ne-
 gantem*, Dissert. *de vero homine*.

IV. Christus in triduo mortis
existere non desit. Omnis enim Sa-
 cerdos existit: Christus in morte impios
 secum in sepulchrum inferens, fuit sacer-
 dos; Ergo. Contra Socinianos, Chri-
 stum *in morte esse ac existere desuisse* im-
 pie statuentes.

V. Justificatio in S. Literis de-
 scribitur partim *privative*, per non
 imputationem injustitiæ nostræ; par-
 tim *positive* per imputationem Justi-
 tiæ

tia Christi. DEUS enim imputando impiis & iniustis Christi mortem & sepulturam, remittit illis omnem iniquitatem, & remittendo iniquitatem, iustitiam Christi morte & sepultura acquisitam imputat.

VI. Subjectum, quod imputat, est DEUS iudex secundum gratiam non modo gratiam, sed etiam gratuitam hic jure agens: Subjectum promerens hanc imputationem, Christus est. Utrumque habetur in Textu nostro. DEUS enim, qui fecit incurrere in Christum poenas omnium iniquitatum nostrarum, veri. u. ~~etiam~~ nobis

~~mortem~~ ac sepulturam Filii sui imputavit,

v. 9. Sed & Christus meritorie dedit impios peccatores in sepulchrum & mortem suam ita, ut, dum ipse in mortem se pro nobis tradidit, idem sit, ac si nos ipsos nos morti exposuissemus, & dum sepultus est propter iniquitates nostras, idem sit, ac si omnes impii cum ipso sepulti fuissent. Vid. supra §. XV.

VII. Subjectum imputationis Cui, quoad statum præteritum, est ho-

mo impius & injustus: quoad statum presentem homo credens. Nam ut impios Christus dedit in sepulchrum & injustos in mortem suam, (Conf. Rom IV, 5.) ita non nisi credentibus mors Christi imputatur.

VIII. Materia imputationis negative expressæ, est nostra iniquitas tum originalis, tum actualis; affirmative descriptæ, meritum Christi fide apprehensum. Dum enim impios & injustos dedit in sepulchrum & mortem suam, omnes eorum iniquitates secum ~~in~~ sepulchro intulit, ut ibi manerent, nec credentibus imputarentur. In morte vero ac sepultura Christi inveniuntur omnes divitiæ & benedictiones spirituales, quæ per fidem nobis imputantur, Rom. IV, 5. 6.

IX. Forma Imputationis consistit in gratiosa DEI æstimatione, qua impii ac injusti ob mortem & sepulturam Christi apprehensam, κατ' ἐπιείκην Evangelicam coram tribunali divino justi reputantur, haud secus, ac si ipsi mortem
hanc

hanc subiissent, ac sepulchro illati fuissent. Id quod clarissime patet ex Textu nostro sic explicato. Cui junge illud Apostoli 2. Cor. V, 14, 15. *Si unus pro omnibus mortuus fuit, istos omnes mortuos fuisse statuamus.*

X. Imputatio igitur hæc non est putativa & res minimæ Entitatis, uti Pontificiis audit; sed est realissimum DEI judicium, quod fert de throno gratiæ suæ super peccatore in Christum credente, ejusque mortem ac sepulturam fiducialiter apprehendente, sibi que per fidem appropriante. Licet enim objectum Imputationis (*mors & sepultura illa*) non nobis, sed Christo inhaereat; apprehensione tamen fiduciali & imputatione divina fit nostrum. Et sicut Christo *peccata nostra* realissime sunt imputata, quæ Christus etiam propter hanc imputationem *sua* vocat, Ps. XL, 10, ita vicissim Christi mors & sepultura, per fidem apprehensa, realissime nobis imputatur: Sicuti hanc imputationis rationem præter Esaiam cap. LIII, vers. 4, 5, 6. con-

G. 5

firmat

firmat Antithesis Paulina, 2. Cor. I. v. 21.

XI. Christus non modo pro omnibus, sed & pro singulis peccatoribus mortuus ac sepultus est: ideo enim dicitur in Textu primo רשעים (in *plurali*,) impios indefinite secum posuisse in sepulchrū; deinde unumquemque divitem injustum (in *singulari*) dedisse in mortem suam.

XII. Actus fidei justificantis, qua justificans nihil aliud est, quam acceptio seu apprehensio meriti Θεαυθρωπος ad me & te in individuo appropriativa. Ideo enim Christus pro singulis mortuus & sepultus, ut unusquisque mortem & sepulturam Christi in Individuo sibi applicare, adeoque cum Paulo, Gal. II, 20. dicere possit: una cum Christo crucifixus (mortuus ac sepultus) sum. Vivo autem non amplius ego, sed vivit in me Christus: & vitam, quam nunc vivo in carne, vivo per fidem illam filii Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.

XIII. Communicatio Mystica ex
uni

unionem fidelium cum Christo fluens est, qua Christus v. g. suam passionem, mortem, sepulturam, resurrectionem, ascensionem in Coelos, & sessionem ad dextram DEI gratiose nobiscum credentibus communicat, ita ut in virtute Passionis eius, carnem nostram crucifigere; Mortis, veterem Adamum mortificare; Resurrectionis, ad vitam spiritualem resurgere, inque nova vita ambulare; Ascensionis, in caelo nostrum πολιτεία habere; Sessionis ad dextram DEI, cum Christo in supra-coelestibus collocari, imo omnium, quæ Christus nobis promeritus est, participes fieri queamus. Conf. Rom. VI, 2. seqq. Eph. IV, 5. 6. Coll. II, 17.

XIV. Christus homo nec unquam peccavit, nec peccare potuit. Prius clarum est e Textu nostro collato cum 1. Petri II, 22. quia nunquam peccatum fecit, nec inventus dolus in ore eius. Posterius ex eo, quia DEUS ipse peccare posset, si Christus, ut homo, fuisset peccabilis. Sic enim Divina persona peccare potuisset, quod absurdum & impium. Qui

excepto solo peccato, hominibus similis, & sublimior factus est Angelis in bono confirmatis, ille peccabilis esse nequit, Ebr. VII, 26. Contra Durandum, Scotum, & Biellem, in Librum III. sentent. Dist. 12. q. 1. Simonem Episcopium, Resp. ad defensionem Cameronis, c. XIII. Opp. Tom. 1. P. II. f. 289.

§. XXII. Jam Textum, in quo versamur, ut nobis applicemus, ipsa ejus verba cum aliis Scripturae Dictis collata, suspirio hoc ad Christum brevissimo includamus: **Do-**
 „ mine IESU CHRISTE, Redemptor no-
 „ ster unice, qui nunquam in diebus car-
 „ nis tuae peccatum fecisti, & in cujus ore
 „ nullus inventus est dolus, gratias tibi
 „ agimus devotas pro summo hoc benefi-
 „ cio, quo nos impios peccatores tecum se-
 „ pulchro tuo inferre, & nos injustos
 „ mortis tuae satisfactoriae participes red-
 „ dere voluisti; ignosce, quaesumus, gra-
 „ vissimum hoc nobis delictum, quo mor-
 „ tis ac sepulturae tuae fructum in tanta
 „ Evangelii luce non rite huc usque expen-
 „ dimus, & largire hanc servis tuis gra-
 „ tiam

tiam, ut nos, qui tecum plantati coalui-
 mus assimilatione mortis tuæ, coalesca-
 mus etiam impofterum Tecum Refur-
 rectionis tuæ similitudine, scientes: ve-
 terem illum nostrum hominem Tecum
 esse crucifixum, mortuum ac sepultum,
 ut aboleatur corpus peccati, & non am-
 plius fervientes iniquitatis, in regno Tuo,
 sub Te vivamus, ac Tibi serviamus in per-
 petua iustitia, innocentia, & beatitudine,
 perinde ac Tu ipse a morte resuscitatus,
 vivis & regnas in æternum! Amen.

DICTION II.

EX

Coloff. II. v. 14. 15.

Ἐξαλείψας τὸ καθ' ἡμῶν χειρογράφοι
 τοῖς δόγμασιν, ὃ ἦν ὑπεναντίον ἡμῖν,
 καὶ αὐτὸ ἦρκεν ἐκ τῆ μέσθ, προσηλώσας
 αὐτὸ τῷ σταυρῷ. Ἀπεκλύσαμενος τὰς
 ἀρχὰς καὶ τὰς ἐξουσίας ἐδειγμάτισεν ἐν
 παρρησίᾳ, θριαμβεύσας αὐτὸς ἐν αὐτῷ.

S. I. Verba hujus effati Apostolici,

G 7

NON

non parva, si accuratius expendantur, difficultate laborantis, Bened. Arias Montanus in sua interlineari *κατὰ πίδα* sic transtulit: *Delens illud adversus nos chirographum edictis, quod erat subcontrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci: exspolians Principatus & potestates traduxit in libertate, triumphans illos in ipso.* Nec multum hæc ejus versio discrepat a Vulgati interpretatione: *Delens, quod adversus nos erat, chirographum, decretis, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci: Et exspolians Principatus & potestates traduxit confidenter, palam triumphans illos in se ipso.*

§. II. In Versionibus cæteris major adhuc deprehenditur varietas. Vetustissima enim translatio Syra, interpretibus Guidone Fabricio & Emanuele Tremellio, hujus est tenoris: *Et deiecit in mandatis suis Chirographum debitorum nostrorum, quod erat nobis contrarium, illudque sustulit e medio & ipsum affixit cruci sue. Et per exspoliationem corporis sui*
dis-

diffamavit Principatus & potestates & confudit eos ~~palam~~ in semet ipso. Arabs sic transtulit juxta Latinam interpretationem, quæ in Briani Waltoni Bibliis Polyglottis habetur: *Delens Chirographum adversus nos scriptum per dogmata, quod erat contrarium, illudque e medio sublatum clavis affixit cruci: spoliatosque Principatum & potestatum possessores publice exposuit, eosque per illam diffamavit.* Æthiops autem hoc modo: *Et deleuit pro nobis scripturam debiti nostri in decreto, (quæ erat) contra nos, & sustulit eam e medio nostrum & affixit illam in cruce: & exspoliavit Principes & potestates, & monstravit palam & pudefecit in illo.*

§. III. Subjungimus his ex Occidente duas adhuc translationes; Una est Theodori Bezae Latina: *Ac deleto, quod adversum nos erat rituum chirographo, quod, inquam, erat nobis subcontrarium, ipse vero cruci affixum e medio sustulit. Et exspoliata imperia, ac potestates traduxit palam, triumphatis illis per eam.* Altera Luthe-
 si Germanica: *Und hat ausgetilget die Hand*

Handschrift / so wider uns war / welche durch Säkung entstand und uns entgegen war / und hat sie aus dem Mittel gehan und an das Creuz gehefftet / und hat ausgezogen die Fürstenthüme und die Gewaltigen und sie schau getragen öffentlich und einen Triumph aus ihnen gemacht durch sich selbst.

§. IV. Si Commentatores Veteres ac recentiores (quorum omnium verba hic adducere nimis prolixum foret) consulas, communiter isti hunc Textum exponunt de liberatione hominum a maledictione Legis moralis, seu fructu crucis & mortis, v. 14. & gloriosa hostium infernalium triumphatione, seu fructu resurrectionis Christi, v. 15. Sed quamvis hæc Interpretatio absolute in se & materialiter spectata sit verissima, inque aliis Scripturæ Locis (Rom. VII, 4. Gal. II, 19. Ps. LXIIX. 19. Eph. IV, 8.) maxime fundata, *relata* tamen ad hunc textum & formaliter quoad proximam intentionem Spiritus S. considerata abluat (∞) a Scopis Apostoli, qui est præmunire Colossenses a Pseudo-

Apo-

Apostolis observationes Legis ceremonialis cum Evangelio miscentes, ut patet ex v. 8. 12. (β) a cohærentia Grammatica cum versu præcedente 13. quæ ostendit hæc prædicata (*delere illud, quod nobis (Judæis) adversum erat Chirographum: e medio istud tollere ac cruci adfigere, exspoliata imperia traducere, palam triumphatis illis in ipso*) ad DEUM Patrem, qui Colossenses Gentiles vivificarat cum Christo, & omnes iis offensas condonarat, referenda esse. Nec, si participium ἐξάλειψας resolvatur per Relativum & Verbum finitum, h. m. ὃς ἐξήλειψε, qui delevit, Relativum istud statim Christum respicit, cum quo DEUS Pater Colossenses vivificasse dicitur, vers. 13. Si quidem Participium χαριτάμενοι ad DEUM Patrem expresse relatam intercedit. (γ) a Connexione Logica & συναφείᾳ Textus cum v. 16. 17. Ubi mediante Particula ὅτι ex præcedentibus rationibus immediate infert Apostolus conclusionem hanc principalem, nervum argumentorum omnium simul aptissime

sime

fime repetentem: *Ne quis igitur vos iudicet aut damnet ob cibum vel potum, aut respectu Festi, aut Novilunii, aut Sabbathorum, quæ sunt umbra rerum futurarum: utpote ad Legem ceremonialem, ad τὰ στοιχεῖα τῆς νόσου, v. 8. spectantia. Quæ collectio nulla esset, si in v. 14. & 15. de liberatione a maledictione Legis moralis & victoriosa triumphatione infernalium potestatum ageretur. Quæ enim consequentia: Christus redemit Colossenses ab execratione Legis Moralis, & a potestate Diaboli in triumpho circumducti, Ergo se non subjicere debent Pseudo-Apostolis ipsos iudicare, imo damnare præsumentibus Elementa Mundi, qualia sunt Cibus, Potus, Festum, Novilunium, Sabbathum.*

§. V. Nos ergo ad Textum originale, ad τὸ σῶμα καὶ ὑφ᾿ ὅ, i. e. Antecedentia & consequentia, & ex iis investigandum scopum Apostoli curatius attendentes, cum Johanne Coccejo (Commentario in Epist. ad Coloss. Tom. V. Opp. f. 115 - 119.) de abrogatione legis ceremonialis, v. 14. & abo-

abolitione Principum Legalium vers. 15. proxime ac directe agi dicimus, ita tamen, ut communem illam ac usu receptam interpretationem *indirecte* ac *remote* simul involvi non diffiteamur. Et hoc, adminiculo prædictorum interpretandi mediorum, facile demonstramus.

§. VI. Nimirum *Pars altera* capituli hujus II. in qua differit Apostolus adversus omnis generis corruptelas Sanæ doctrinæ, quas seductores Pseudo-Apostoli introducere conabantur in Ecclesiam Colossensium, exhibet nobis tum *admonitionem de vitandis istis corruptelis*, v. 8. tum *confutationem eorundem*, v. 9 - 23. In *Admonitione* tria observamus: (α) *singulare cavendi studium*: βλέπετε, i. e. oculos mentis aperite, diligenter attendite, & modis omnibus cavete. (β) *Impostorum conatum violentum*: Μὴ πῶς ὑμᾶς ἔσται ὁ σὺλαγωγῶν, *ne quis vos spoliet simplicitate fidei, qua inceditis, & prædam objiciat Satane.* (γ) *Ipsarum corruptelarum Indicium.* *Prima* nitebatur *Philosophia*

phia (Ἀγὴ τῆς Φιλοσοφίας) non in se, sed in suo abusu spectata. Unde statim addit: καὶ κενῆς ἀπάτης, ἔστι inanem deceptionem, qualis erat Philosophorum, maxime Platoniorum, cultum Geniorum, quos DEOS medios atque mediatos vocabant, comminiscendum, Conf. v. 18. Altera corruptelæ species conspiciebatur in rebus manifeste superstitiosis & ab ingenio humano confectis, κατὰ τὴν ὁρῶσιν τῶν ἀνθρώπων, cujusmodi fuerunt non modo traditiones Phariseorum, de rebus leviculis, sed & Gentilium Constitutiones in sacrificiis, nuptiis, exequiis. Tertia erat mixtura observationum Legis Cereimonialis cum Evangelio: κατὰ τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου. Hæ enim populo erant quædam elementa, ad Messiam venturum ducentia, sed postquam, illo in carne exhibito, assuerentur Evangelio, tanquam ad salutem necessariæ, fiebant corruptelæ Evangelii, Conf. Gal. IV. 3.

§. VII. Confutatio harum corruptelarum est vel generalis, vel specialis. Generalis habet rationem unicam, v. 8.

καὶ

καὶ ἔκαστος ἀπὸ χειρῶν, quod scilicet Colof-
 senses a Christo ejusque fide & gratia alio
 traherent seductores isti, cum tamen in
 illo sufficienter habere possent omnia ad
 salutem necessaria. Id quod ostendit tum
 a personali duarum naturarum unione, v. 9.
 (*In Christo, inquit, habitat omnis plenitu-
 do DEitatis σαματικῶς*) tum a beatitu-
 dinis spiritualis plenaria in ipso possessio-
 ne, v. 10. *Vos in Christo estis completi, qui est
 caput omnis principatus & potestatis (πᾶ-
 σης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας) legalis, in conscien-
 tias nempe dominantis. Specialis
 Confutatio spectat singulas corruptelas,
 quamvis non servetur idem ordo, qui est
 in designatione illarum observatus. Nam
 primo loco tertiam, quæ in mixtura ob-
 servationum Legalium cum Evangelio
 est posita, & cujus pars quædam Textum
 nostrum ingreditur, confutat Apostolus,
 & quidem sic, ut tum in specie circumci-
 sionis necessitatem & usum, vers. 11. 12. 13.
 tum in genere cultum legalem, vers. 14, 15.
 tum ejus certas species, v. 16. 17. expug-
 net ac rejiciat. Circumcisionis necessi-
 tatem*

tatem impugnat hoc argumento, quod Colossenses loco circumcisionis *externæ* habeant *internam Christi*, vers. II. quæ ipsos a peccati tum reatu, tum dominio, exuerit in Baptismo, cuius *fructum* duplicem, *unum* in Sepultura, *alterum* in Resurrectione cum Christo conspicuum ac per fidem, quæ a DEI Christum ex mortuis resuscitantis *ἐνεργεία* dependeat, applicandum, ostendit v. 12. & ut hæc momenta rerum, in quibus nostræ salutis summa consistit, efficacius animis Colossensium imprimat Apostolus, pristinae illius miseriæ sub Ethnicismo, & insecutæ sub Evangelio summae & admirandæ felicitatis *antithesin* instituit, v. 13.

§. VIII. Iamque propius atque intimius Textus nostri viscera contemplaturi, in eo *cultum legalem in genere* duplici argumento impugnari deprehendimus. Primum ab *abrogatione Legis Ceremonialis*, v. 14. Alterum ab *abolitione Principum legalium*, v. 15. desumitur. Quoad *præ*, abrogationis Auctorem: Rem abrogatam: Actum & Modum abrogationis, considerabimus.

§. IX.

§. IX. Auctor abrogationis latet in Participio ἐξαλείψας, verbo ἤρκε, & altero Participio προσηλασας. Ubi constructionem Grammaticam aliquo modo difficilem reddit trajectio particulae καὶ ante voces αὐτὸ ἤρκε posita, quae, si in debitum locum ante Participium ἐξαλείψας restituitur, omnia plana erunt: Καὶ ἐξαλείψας τὸ καθ' ἡμῶν χειρόγραφοις τοῖς δογμασιν, ὃ ἦν ὑπεναντίον ἡμῖν, αὐτὸ ἤρκεν ἐκ τῶν μέσων. Vocula igitur καὶ connectit Participium ἐξαλείψας cum Participio χαρισάμενος pendente a verbo συνεζωοποίησε, v. 13. quod refertur ad Deum Patrem, qui resuscitavit Christum ex mortuis, v. 12. Ubi Participium τῶν ἐγείραντος propter copulam καὶ sequentem resolvi debet per Relativum ὅς, & Verbum finitum, h. m. τῶν ΘΕΟῦ, ὅς ἤγειρεν αὐτὸν (scil. Christum) ἐκ τῶν νεκρῶν, καὶ ὑμᾶς νεκροὺς ὄντας, συνεζωοποίησε σὺν αὐτῷ (scil. Christo) χαρισάμενος ὑμῖν πάντα τὰ παραπτώματα, καὶ ἐξαλείψας χειρόγραφοις, αὐτὸ ἤρκεν ἐκ τῶν μέσων. Quae series verborum inter se coherentium ostendit:

Αβ.

Autorem deletionis Chirographi non esse
 alium, nisi DEUM trinum, qui Chri-
 stum resuscitavit ex mortuis, & Colossen-
 ses gentiles in peccatis ac præputio carnis
 suæ mortuos, cum eo vivificavit, condo-
 nans ipsis omnia peccata. Idem DEUS
 vi hujus connexionis etiam v. 15. dicitur
 abolevisse Principatus ac Potestates, & tra-
 duxisse palam, triumphatis iis in ipso (sc.
 Christo) Et quamvis hæc opera omnia
 Christo, ut causæ meritoria, sub oculis
 ἐν αὐτῷ v. 15. tacite, & in aliis Scripturæ
 locis, v. g. Eph. II, 14. 15. 16. IV, 8. ex-
 presse tribuantur, hic tamen Apostolus
 DEO, ut fonti salutis nostræ, Joh. II. v. 16.
 ejusque energiæ abrogationem Legis Ce-
 remonialis, v. 14. & Principum Lega-
 lium, v. 15. (perinde ut vivificationem &
 resuscitationem spiritualem Colossensium
 Gentilium, nec non condonationem pec-
 catorum, v. 12. 13.) diserte adscribere vo-
 luit, ne haberent Judaizantes, quod ob-
 verterent, si DEUM, qui legem hanc po-
 pulo suo ad tempus observandum dede-
 rat, eandem in Christo Filio suo, cum
 venis-

venisset plenitudo temporis, abrogasse audirent.

§. X. Res abrogata est τὸ κατὰ
 ἡμῶν χειρόγραφον τοῖς δόγμασιν, ὃ ἦν
 ὑπερ᾿αντίον ἡμῶν. Quod nam sit h. l. χει-
 ρόγραφον, valde variant Interpretes, quo-
 rum diversas sententias colligit Ludov.
 Crocius ad h. l. Sebastiano Schmidio ni-
 hil aliud est, quam Lex Mosaica scripta,
 in primis *Moralis*, cum qua in ejusmodi
 Disputatione Apostolus saltem consequen-
 ter includat Legem Ceremonialem, quate-
 nus ut necessaria & a Mose certo sine scri-
 pta urgeatur. Sed *Legem Moralem* non de-
 levit aut abrogavit DEUS per mortem
 Christi, qui, etsi nos liberavit ab ejus con-
 demnatione, non tamen ab obedientiae
 obligatione, cum haec sit perpetua vivendi
 Regula. Nos igitur ad scopum & συνάφειαν
 Textus, nec non locum parallelum Eph. II,
 15. respicientes, per χειρόγραφον hic intel-
 ligimus rituum Chyrographum, ut recte
 transtulit Beza, vel ut Apostolus vocat l. c.
 τὸν νόμον τῶν ἐντολῶν ἐν δόγμασι legens
 praeceptorum in ritibus positam. Et
 hoc apertissime confirmat illa Pronomi-

H

num

num demonstrativorum diversitas. Nam cum v. 13. respectu Gentilium adhibuisset pronomen secundæ personæ ὑμᾶς, ὑμῶν, ὑμῖν, nunc utitur demonstrativo primæ personæ ἡμῶν, ἡμῖν manifesto argumento, quod hic loquatur de re ad *Judæos* (queis etiam semet ipsum accensebat Apostolus) pertinente: vicissim personæ secundæ pronomen ὑμᾶς adhibet mox, v. 16. In quo est principalis conclusio, Colossenses, antea gentiles, immediate stringens. Dicitur autem τὸ κατ' ἡμῶν χειρόγραφον, quod adversus nos, (scil. *Judæos*) scriptum erat *Chirographum*. Quod enim *Judæi* agebant per totum annum, & res terrestres, quas tractabant, veluti sunt arca, propitiatorium, & altare sanguine conspersa, & variarum lotionum, ciborum ac temporum observationes; hæc nempe erant *Chirographum manu Judæorum exaratum*, quo se fatebantur debitores, h. e. divinæ iræ ac mortis æternæ, ob legis moralis transgressionem, reos. Nemo enim, v. g. se abluebat, quin fordes peccatorum profiteretur: nemo victimam offerebat, quin capitalem reatum publ-

publice restaretur : innocuum enim animal in locum suum substituebat, Israelitæ igitur scribebant hoc contra se *Chirographum*, quia observando Legem Ceremonialem confitebantur, debitum suum nondum abolitum. Chirographum enim, quod sponte sua Creditori dat Debitor, id productum a Creditore adversatur Debitori, eumque debiti convincit. Additur τοῖς δόγμασι, dogmatis seu decretis scilicet ritualibus constitutum. Nec enim vox δόγματος aut verbum δογματίζεσθαι usquam in Scripturis de *Morali* lege usurpatur. Præcepta in placitis ceremonialibus posita & a mero Legislatoris beneplacito dependentia formulam *Chirographi* exhibebant: observatio placitorum istorum erat *Chirographum ipsum* seu scriptum, quo Judæi confitebantur debitum proprium. Nimirum per legem præceptorum ἐν δόγμασι, in placitis seu decretis ritualibus positam, Eph. II, 15. DEUS exegit a Judæis peccati adhuc extantis & nondum deleti confessionem; per ea, quæ habebant & faciebant secundum ista præcepta rituum, confitebantur peccata sua extare & expia-

tionem desiderare. Utitur autem plurali numero τοῖς δόγμασι, quia magna illorum dogmatum fuit multitudo. Et ut uberiorius declaret, quantum in eo situm sit, ut ceremoniæ agnoscantur abolitæ, iterum inculcat *contrarietatem*: ὃ ἦν, inquit, ὑπερβλίον ἡμῖν, quod erat nobis (Judæis) *subcontrarium*. Bene Beza, & cum eo Erasmus Schmidius: *Occulte contrarium*, h. e. quod specietenus non videbatur contrarium, cum tamen occulte ac revera esset contrarium. Quamvis autem Lex Ceremonialis ea parte, qua erat *Evangelica*, promittebat peccatorum deletionem (Sacrificia enim testabantur, a DEO dari sanguinem pro animabus ipsorum, & eos gratis justificari, non sua iustitia, & ita cum DEO foedus iniri super sacrificio) quatenus tamen *appendix* erat legis moralis, Judæos arguebat, convincebat ac reos peccati peragebat, & reis peractis condemnationis sententiam promulgabat. Erat *contrarium* sua significatione, quia non permittebat prope accedere ac petere ea, quæ petunt ac accipiunt redempti in hac vita, Hebr. VII, 19. IX, 8. Utut igitur Lex Ceremonia-

lia-

nialis promittere videretur peccatorum deletionem, in titibus tamen confessio erat magis, quam expiatio eorum, unico Christi sacrificio peragenda ac consummandam. Utitur autem hac *Chirographi* metaphora lubens Apostolus, propter factam *condemnationis* mentionem, v. 13. quæ non prius Gentibus obtingere poterat, quam deletio hoc Judæorum *Chirographo*, quod *inimicitia causa* inter Iudæos & Gentes existeret, Eph. II, 11.

§. XI. Actus abrogati *Chirographi* exprimitur Participio *ἐξαλείψας*. Hoc recte resolvitur per conjunctionem & Verbum finitum, h. m. *Et postquam delevit Chirographum (αὐτὸ ἤρκεν) abstulit illud; ἐξαλείψας* hic est *τελείως ἀφανίσας* h. e. ita perfecte delens, ut nullum eius rei supersit vestigium, a Verbo *ἐξαλείφειν*, quod est *delere, obliterare, expungere*. In loco Parallelo, Eph. II, 15. est Participium *καταργήσας*, quod de *abrogatione legis* dici; hic *ἐξαλείψας*, quod de *Chirographo* & rebus aliis, quæ scribuntur, adhibere solet. Ita Xenophon *Ἑλληνικ. Libr. II. τῆτονι ἐξαλείφω ἐκ τῆ*

καταλόγῳ. Jam quid *delere chirographum* sit, patet: Nimirum invalidum illud reddere, obligationem ejus solvere, quasi nihil amplius scriptum, cujus indicium *littera* esse solet. Creditor delens cautionem, eo ipso remittere debitum intelligitur: ut & ille, qui Chirographum reddit. In nominibus enim, Chirographo manente, obligatio viget: Sed, ære alieno ex asse soluto, non manet integrum Chirographum apud bonæ fidei Creditorem, sed laceratur & aboletur. Sic declaratur facta solutio debiti, ut non amplius sit locus exactioni. Unde Apostolus ait: Gentibus dimissa esse debita, post oblitteratam & abolitam prorsus *συνυγραφήν*, i. e., *abrogatam legem Ceremonialem*, cujus observatio erat publica quædam peccatorum nondum expiatorum & reatus confessio. DEUS autem volens misereri Gentium, necesse habebat delere Judæorum Chirographum, quod erat *ἔχθρα*, seu *inimicitia* inter Gentiles & Judæos.

§. XII. Modus deleti Chirographi sistitur his Verbis: *Αυτὸ ἔθηκεν ἐκ τῆς μέσης*, *Eam* (subscriptionem) *sustulit e medio.*

DE-

Deus nempe Chirographum abstulit e medio, ἐκ μέσων, ut Christum εἰς μέσον tanquam μεσίτην poneret, per quem ad DEUM & vitam perveniremus. Probe iterum notandum, quod DEUS sic e medio Chirographum sustulerit, ut locum eius Filius DEI cum merito ex gratia sua occuparet. Non autem abstulit e medio, quasi rejiceret & condemnaret, sed ut cruci Christi adfigeret, & sic propter satisfactionem Christi in cruce præstitam, non amplius obligare hominem ad condemnationem, & adversari illi posset. Atque hoc est, quod addit Apostolus: *ἠνεμήσας αὐτὸ τῷ σταυρῷ*, affigens illud cruci, nempe Christi. Alluditur ad morem, quo Chirographa abolentur transfixione, quod nos Germani dicimus: Ein Loch dadurch machen. Respicit enim ad *clavos* Christi, quibus cruci adfixus est, quasi per eosdem etiam Chirographum affixum fuerit. Antea quod agebatur in templo Hierosolymitano, & in toto populo Judaico, per observationem dogmatum ceremonialium, erat Chirographum, h. e. Instrumenti confessorii subsignatio, postea DEUS eam

subsignationem aboleri voluit in cruce
 per affixionem Christi in cruce. Ergo
 Chirographum a templo & a populo Ju-
 daico & a toto mundo ablatum est & cruce
 affixum. Christi crucifixio argumentum
 verum ac vivum erat maledictionis nostræ
 in illum translata. Quando Christus fa-
 ctus est *κατάρα*, nos liberati sumus a
κατάρα; Gal. III, 13. Affixio corporis Chri-
 sti ad crucem est affixio Chirographi, ut a
 nobis ablati, quia *Christus sustulit peccata
 nostra in lignum*, I. Petr. II, 29. *ipse pro
 nobis peccatum factus*, 2. Cor. V, 21.
 DEUS iisdem clavis, quibus Christus
 crucifixus est, in eadem cruce affixit leges
 Ceremoniales, ne deinceps ullam vim ha-
 berent fideles de peccato convincendi
 mundum expiato per Christum: non aliter
 ac Chirographa cancellari, & lacerata &
 disrupta e clavis suspendi solent, post-
 quam solutum est debitum. Et quamvis
 non appareret oculis, quod Apostolus hic
 dicit, res ipsa tamen satis evincit. Dum
 enim DEUS per Christi crucifixionem di-
 luit debitum, omnino Chirographum ipse
 affixit, dum Christum cruce affigeret: in-
 grem de cruce suspensum *conjecit omni.*

um nostrum peccata, Ef. LIII, 6. quo ipso demonstratum est, *Deum esse iustum*, & *justificare eum*, qui est *ex fide Jesu*, Rom. III, 26.


§. XIII. Hæc de priori argumento. Sequitur *Posterius ab abolitione Principum Legalium* depromptum, v. 15. Ubi iterum notamus (1) *Abolitionis Autorem*, (2) *Personas abolitas*, (3) *abolitionis Actum*, (4) *Modum*.

§. XIV. *Autor abolitionis* est idem ille *DEUS*, qui, delecto rituum chirographo, illud cruci affixum e medio sustulit. Unde Participium ἀπεκδυσάμεν, autorem hunc designans, & verbum εἰσγμάτισε cum altero Participio θριαμβεύσας regens, mediante particula καὶ hic subaudienda, cum præcedente Participio προσηλάσας v. 14. bene conjungitur in versione Vulgati supra §. I. Quod etiam a reliquis Interpretibus est observatum, nisi quod Participium ἀπεκδυσάμεν diversimode resolvant, uti mox videbimus.

§. XV. *Personæ abolitæ* sunt *Principes Legales*: Ἀπεκδυσάμεν τὰς
 Η 5 ας

ἀρχὰς καὶ τὰς ἐξουσίας, Principatus & potestates, i.e. τὴν ἀρχὴν καὶ ἐξουσίαν ἔχοντας, principatum & potestatem habentes. Per τὰς ἀρχὰς καὶ ἐξουσίας communiter intelligunt *Diabolos*, seu malos Spiritus, quos Principatus & potestates de facto dici sentiunt propterea, quod ex permissione DEI per peccata in mundum incredulum, potestatem & principatum sibi rapuerint. Et sane has appellationes Diabolicis alias tribui constat, ex Ephes. VI, 22. Conf. Luc. XXII, 53. Joh. XII, 31. C. XIV, 30. Eph. II, 2. Coloss. I, 13. Sed hoc loco nec antecedentia nec consequentia istam significationem admittunt. Nam ut v. 14. dixerat de rituum Chirographo, id per sanguinem Christi deletum, & in cruce ejus clavis affixum; ita nunc vers. 15. cum Chirographo & Σύμμασι conjungit Principes ac potestatem gerentes, qui populum veterem compellendo adigebant ad observanda illa dogmata ritualia, & ad scribendum sic adversus se Chirographum, eosque simul, cum Chirographo deleto, exutos ac publice ostentui habitos ac triumphatos a DEO in cruce Christi ostendit

Ergo

Ergo (statim v. 16. infert) *ne quis vos* (Colossenses scil. antea Gentiles) *judicet ob cibum vel potum, &c.* Sensus præcepti hujus est; Neminem recognoscite Principem, qui secundum legem dogmatum ritualium, juxta Chirographum illud jam in Christo deletum, vos judicet. Ne subjicite vos ejusmodi judicibus, seu illi se gerant pro Discipulis Principum Legalium, potestate præditorum, seu putentur esse Principes ad imperandum & potestate præditi ad coërcendum & castigandum: Nolite his obedire, si vos judicare præsumant in elementis mundi, qualia sunt *Cibus, Potus, Festum, Novilunium, Sabbathum.* Addit rationem, v. 17. *quæ sunt umbra rerum futurarum, corpus autem Christi.* Quasi dicat: Vos enim Christi estis antitypi, non typi sive umbræ, vos estis corpus ejus, qui factus est *caput πάσης ἀρχῆς καὶ ἐξουσίας* omnium illorum Principum ac Potestatum Legalium, v. 10. Ex quibus omnibus satis apparet: non posse v. 15. Sermonem esse de captivatione & exspoliatione Diabolorum, sed Principum Legalium abolitione, qui sunt *οἱ ἀρχοὶ τῆς αἰῶνι*  *τῆς, οἱ καταργη-*

H 6

ΜΕΝΟΙ

μενοι, i. e. Principes huius seculi, qui destruuntur. 1. Cor. II, 6.

§. XVI. Actus Abolitionis comprehenditur voce ἀπενδυσάμενος, quod Participium Æthiops & Lutherus h. m. resolvunt: *Et exspoliavit, und hat ausgezogen.* Beza in sensu Passivo refert ad subsequentes voces τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ἐξουσίας h. m. *Et exspoliata imperia ac potestates traduxit.* Syrus illud sic explicat: *in depositione corporis sui.* Quomodo de Christo accipiendum foret. Sed non facile dixerim, Christum in morte Corpus suum exuisse. Mansit enim in morte Corpus filii ac templum ejus. Chrysostronus etiam *de morte Christi* interpretatur, accipiens verbum reciproce. Et revera Christus per mortem exiit istos Principatus & potestates, quia per eam desit esse subjectus legi & servus Dominantium. Sed tamen orationis postulat in v. 12, 13, 14. ut de DEO Triuno hæc verba v. 15. accipiamus. Est autem ἀπενδύσασθαι non exarmare, s. armis spoliare, sed se exuere, & a se aliquid deponere. Bis tantum adhibetur in Sacris literis, hic nempe, & Cap. III, 9. Ubi sine
Da-

dubio notat reciproce *Depositionem a se*.
 Similiter ἐνδύσασθαι 2. Cor. V, 4. & con-
 trarium ἐνδύσασθαι reciproce ponuntur.
 Nec aliter verbum istud in præsentî Tex-
 tu, quam reciproce debet accipi, hoc mo-
 do, ἀπερδυσάμενος τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς
 ἐξουσίας, exuens se Principibus, seu depo-
 nens a se Principes exutos. Nec facile re-
 perimus hoc verbum aliter usurpatum fu-
 isse a LXX. Interpretibus. Quare dica-
 mus, Deum istos Principes ac potestatem
 gerentes a se deposuisse, quos olim in popu-
 lo Iudaico tanquam Rex habuit quasi sibi
 circum positos. Deus enim habuit re-
 gnum suum in sanctis suis semper, quos ad
 obediendum sibi sanctificavit. Sed cum
 populum Israëliticum elegit ad ei commu-
 nicandum sua Testamenta, tum dedit ei
Principes legales, quos suo in throno quo-
 dammodo collocavit: ideo dicuntur *Reges*
 ac *Principes consedissee in throno Regni*
DEI super Israël. I. Chron. XVIII, 5.
 sed ut illa Lex ceremonialis non semper
 debuit durare; ita etiam potestas *illorum*
Principum aliquando cessare debuit. Recte
 igitur DEUS dicitur ipsos exuisse & exu-

tos instar vestis inutilis deposuisse. Hæc ἀπέκδυσις Principum vocatur etiam κατάρτησις eorundem 1. Cor. II, 6 & prædicta est Ps. LXXII, 6. 7. Denique ut rem verbo comprehendamus: quando Christus factus est *caput omnis Principatus & potestatis*, ut est v. 10: tum qui hactenus fuerant Principes, desierunt esse Principes, ac potestatem habentes: Hosce igitur Principes deposuit ac noluit amplius esse Principes populi carnalis.

§. XVII. Modis abolitionis duas complectitur circumstantias. *Prima est, quod istos Principes palam ostentui habuerit: ἐδειγματίσεν ἐν παρρησίᾳ.* Verbum ἐδειγματίσεν ad eosdem Accusativos refertur, ut Act. X, 23. c. XV. 22. 25. Scilicet ut consideretur Deus a se simul Principes abdicare, & eos in cruce Christi prostitueret, ac de iis triumphare. Prostitutos enim publice ac triumphatos non amplius gestat pro sua veste. Παρδειγματίσεν est ignominie exponere, ostentui habere, & quasi per publicum cœtum spectantium traducere. Quo sensu occurrit de iosepho, viro desponsato Mariæ Deiparæ, quam gravi-

dam

dam inventam noluit *ὁδοποιεῖν*,
 Matth. I, 19. Sic & DEUS Principes po-
 puli carnalis ostentui habuit ac ignomini-
 æ exposuit. Quando enim *Chirogra-
 phum rituum* Deus cum Christo cruci affi-
 xit, Christus quidem pependit in cruce,
 sed in ipsius corpore, quod sic ostentui pe-
 pendit ad solem, *Principes Legales* tradu-
 cti & prostituti sunt a DEO, ut impuri ipsi,
 ac nullam vim habentes, ad hæredes salu-
 tis, iustitiæ coram DEO valentis compotes
 faciendum. Nam si per eos, veluti *Sacerdote
 & Legis peritos* potuisset populus purificari
 a sordibus peccatorum, quare Christus Fi-
 lius DEI unigenitus mortuus & crucifi-
 xus fuisset? Additur: *ἐν παρρησίᾳ*, i. e. *in
 libertate* s. *libere & cum auctoritate*. Olim
 DEUS *in medio Deorum* (h. e. Principū ac
 Sacerdotū Legalium) *stetit* Ps. LXXXII,
 1. & iussit populum illis parere & partim
 ad illos accedere, ut propitiarent ipsos.
 Nunc solus in Christo venire volebat ad
 Ecclesiam, ut Rex ejus & Redemptor.

§. XVIII. *Altera* circumstantia est,
 quod *triumphavit eosdem per Christum*,
θεραπεύσας αὐτὸς ἐν αὐτῷ. Partici-
 piu

pium *ἰσχυροβέυσας*, triumphans, idem est,
 ac commendans suam potentiam ac gratiam
 quæ superat omnem impotentiam huma-
 nam; quod cum nullus horum Principum
 sacrificiis istis Leviticis potuerit salutem
 & justitiam peccatori parare, ipse DEUS in
 Christo potuerit ac voluerit. In quo trium-
 pho continetur etiam *triumphus de capita-
 li Adversario, Diabolo*, qui, dum voluit
 DEUM privare sua in homine gloria, nihil
 aliud effecit, quam ut eo major DEI gloria
 in homine conspiceretur. Dixit autem in
 Masculino: *αὐτὸς*, non Fœminino *αὐτὰς*,
 sicuti *ἀρχὰς, ἐξουσία*, constructionem fa-
 ciens *πρὸς τὸ σκευαζόμενον* ad sensum, non
 ad res, quia *αἱ ἀρχαὶ ἢ αἱ ἐξουσίαι* consi-
 derantur ut *personæ præstantiores*, seu ut
Principes Legales. *Τὸ ἐν αὐτῷ* vel referri
 potest ad *Christum*, sicuti v. 13. dicitur
συνεζῶσπόμεσε σὺν αὐτῷ, nempe Christo;
 vel ad *Crucem*, cujus paulo ante fuit facta
 mentio, v. 14. In cruce enim, quando Chri-
 stus in illam sublatus, & victima pro pecca-
 tis mundi factus est, DEUS Principes po-
 puli carnalis & Sacerdotes Leviticos pro-
 stituit, ut impuros & impotentes ad con-
 cilia-

ciliationem Iustitiæ coram DEO valentis, ac de iis in cruce Christi, quæ fuit instar *currus triumphalis*, aut *circumvecti trophæi*, revera triumphavit.

§. XIX. Conclusiones è Textu sic exviscerato deducimus istas : I. Lex Ceremonialis in N. T. Christianos non amplius obligat. Abrogavit enim DEUS per Christum tum *legem istam*, v. 14. tum *Principes Legales*, v. 15. Legis ceremonialis observatio fuit instar *Chirographi*, quæ reatum suum confœderati profitebantur ; sed DEUS dedelevit istud per affixionem in Christi cruce. Sacerdotes Levitici, Pharisæi & Legisperiti, erant *Principes Legales*, qui ad observandas illas Ceremonias populum carnalem compellebant, eiqve imperabant ; Sed DEUS Principes illos imperio ac potestate in populum N. T. seu Christianos exspoliavit, eosque traduxit palam in Triumpho per crucem Christi. Erant istæ Ceremoniæ *umbra rerum futurarum*, v. 17. Christo igitur exhibito cessarunt : *Veritate appa-
rente inutilis est figura & umbra*, Damalce-
nus ait, Lib. IV. de Orth. Fide. ; Prædixit
Da-

Daniel *cessationem sacrificiorum*, e. IX, 22. Inde Apostoli in Hierosolymitana Synodo declarant, *jugum ceremoniarum discipulis non esse imponendum*, Act. XV, 6. Et Apostolus scribit; Christum *intergerinum parietem sustulisse*, Eph. II, 14. 15. Item *mutato Sacerdotio, necesse quoque esse legis mutationem fieri*, Ebr. VII, 12.

II. Fideles V. T. per observacionem Legis Ceremonialis non fuerunt consecuti remissionem peccatorum, quæ ipsis in fœdere proponebatur. Fuerat enim Legis hujus observatio instar *Chirographi adversus illos scripti, ac iis subcontrarii*, v. 14. Convincentur per hunc locum Sociniani, qui dicunt: *Israelitis aperte in fœdere proposita non fuisse remissionem peccatorum, quæ esset ablatio pœnarum temporalium; atque eam istos consecutos fuisse per victimas & alias Legis purificationes*. Si igitur per legem hanc fuerunt consecuti remissionem peccatorum, quæ ipsis in fœdere proponebatur, quomodo observatio legis hujus erat Chirographum, Legem hanc observantibus contrarium? Numquid observatio, quæ

quæ erat causa remissionis peccatorum, illo tempore fuit contraria remissioni peccatorum? Hic non possunt effugere, nisi dicant: per legales ritus non fuisse paratam remissionem peccatorum, veram nempe liberationem a morte æterna. Si eo confugiant, rursus fiunt *αὐτοκατακρίστοι*. Aut enim fideles V.T. noverant peccatum, aut non? Si noverant, quomodo potuit illis remissio peccatorum in fœdere proponi generatim, ut tamen non nisi liberationem a pœnis temporalibus intelligerent? Si non sciverunt, quomodo Lex Ceremonialis ipsis fuit contraria?

III. Mediator noster inter Deum & hominem est Homo Jesus Christus. Lex erat ab initio creationis *in medio posita*, ut esset medium perveniendi ad DEUM & vitam æternam. Ubi vero homo peccavit, & legem non præstare potuit, Lex illa in medio posita adversari cepit homini, ut ad DEUM pervenire non posset. Sed Christus *abstulit e medio*, ut se ipsum in medium tanquam Mediatorem poneret, per quem ad DEUM & vitam æternam perveniamus. Abstulit autem

tem

tem sic e medio legem, ut locum ejus ipse cum merito & gratia sua occuparet.

IV. DEUS Pater & Christus non duo sunt Dii, nec diverso modo Dii, sed unus DEUS. DEUS enim in Christo *sibi ipsi* mundum reconciliavit, 2. Cor. V, 9. deleto & remoto interposito impedimento, lege scil. Ceremoniali, Principibus item carnalis populi Legalibus institutis atque triumphatis, ut qui gloriam suam coram Deo statuminare non potuerunt, Rom. III, 23. Gloria autem Patris est Gloria Filii, & vindicatione gloriae Filii vindicata est gloria Patris. Conf. Phil. II, 11. Ioh. XI, 14.

V. Fideles in N. T. non amplius dependent ab autoritate humana, sed sunt sub Principe Principum ac DEO Deorum, sub Capite omnis Principatus ac Potestatis, non sub Principibus fiduciariis ac vicariis in rebus scil. ad salutem suam spectantibus. Dicitur enim DEUS in Textu nostro istos legales Principes exuisse, ac *instar vestis exutos a se deposuisse*; Ut Filius
lius

lius DEI, qui est unus ille cum Patre DEUS in throno Patris sedeat sine socio. Unde Esaias c. LX, § dixit: *Principatus veni & in humerum eius*. Principatus, sc. τῶν Ἀρχαίων illorum, qui Mosis & reliquorum Prophe- tarum vestigiis non institerant Matth, V, 21, 27, 33. Coll. cum v. 20.

VI. Ex abrogatione Legis & Principum Legalium, per mortem Christi facta, sequitur tranquillitas conscientiarum nostrarum. Cere- monialis Lex plane abrogata est etiam quoad observationem. Qua de re Paulus hic ex professo disputat a v. 8. ad v. 17, & Christus Matth, XI, 13. dicit: *Lex & Pro- phete usque ad Johannem*. Moralis autem, quoad obligationem Obedientiæ quidem, adhuc durat (est enim æterna & immota vivendi Regula, cujus stimulis caro pigra, etiam in regenitis, excitetur) quoad *ma- ledictionem* tamen & *exactionem coacti- vam* sublata est per mortem Christi cruci- fixi, qui pro nobis factus est maledictum, ut nos a maledictione Legis redimeret. Ita non data Lex iusto, quæ nempe ipsa

eogeret, i. Tim. I, 9. Ita etiam justi non sunt *sub lege, sed sub gratia* Rom. VI, 14. 15. Gal. V. 18. Quia non ex lege salutem petere necesse habent, verum gratia DEI illam assecuti sunt.

VII. Liberatio a Legis Ceremonialis observatione, & Legis moralis maledictione, ex nostra quidem parte est mere gratuita, ex Christi vero parte est meritoria. DEUS enim *ἐχαρίσατο*, condonavit nobis peccata; Christus autem ideo affixus est cruci, ut justitiæ DEI satisfaceret, & maledictio a nobis auferretur, quia in Lege Deut. XXI, 23. scriptum: *Maledictus omnis, qui pendet in ligno.* Magna ergo est impietas Socinianorum, qui mortem crucis Christi negant esse satisfactoriam pro peccatis, nostramque redemptionem a lege soli misericordiae divinae adscribunt, quasi nullam prorsus satisfactionem requisiverit. Nos adoramus *temperamentum illud justitiæ & misericordiae divinae* in opere Redemptionis nostræ, quo DEUS cruci affixit Christum, ut *Chirographum nobis*

nobis aduersum e medio tolleret ac Principes Legales , nos cogentes ac urgentes sub maledictione ad observationem Legis , ostentui haberet ac triumpharet in cruce.

§. XX. Applicationem totius Textus Practicam brevi huic includimus voto : Tibi , o DEUS æterne , , qui ab initio creationis in medio po- , , fuisti Legem tuam , ut esset medium , , perveniendi ad vitam æternam , gratias , , agimus immortales , non modo pro re- , , velatione sanctissimæ hujus volunta- , , tis Tuæ , sed & pro constitutione Filii , , tui post lapsum in redemptionem gene- , , ris humani , qui , cum in medio lex , , posita , & per peccatum infirmata im- , , pleri ab hominibus haudquaquam , , posset , semet ipsum in medium po- , , suit , tanquam mediator noster , eque , , medio sublato , quod nobis aduersum , , erat , rituum Chirographo , & in cru- , , ce sua triumphatis potestatibus Lega- , , libus , nos a maledictione Legis ac , , coactione liberavit , ut per ipsum ad , ,

Te

„ Te perveniremus , fac , ut in gra-
 „ tia tua & in merito Filii tui sem-
 „ per lætemur. Et quia mortificati
 „ sumus Legi in corpore Christi, ut
 „ simus alterius , ejus videlicet , qui
 „ ex mortuis suscitatus est, fac, quæsu-
 „ mus Te, ut fructum feramus DEO
 „ nostro. Tibique nunc liberati a
 „ Lege serviamus in novitate Spiritus,
 „ ac non in vetustate literæ, per & pro-
 „ pter Christum, Filium tuum unigeni-
 „ tum, qui Tecum vivit & regnat
 „ DEUS benedictus, & Caput omnis
 „ Principatus ac potestatis in secula
 „ nunquam terminanda,

AMEN.

FINIS.



Р 8 194406 (1)

Р 8 194406 (1)


ULB Halle

3

003 913 228



VD 17



2
ELEMENTA
HERMENEV.
TICÆ SACRÆ

In Usum
Studioforum Juvenum
ACADEMIÆ LIPSIENSIS
concinnata

a
D. JO. OLEARIO. PP.

Accedit
Catalogus Commentatorum
præcipuorum in singulos
Libros Biblicos:

cum
PRAXI HERMENEVTICA
in
Qvibusdam Exemplis.

LIPSIÆ
Apud Jacobum Fritsch.
1699. 2

Farbkarte #13

B.I.G.